

Beatissime Pater!

Gaudentes semper ad excelsum Sanctitatis Vestrae thronum accedunt pastores et oves catholici, laetiores tamen, si principi episcoporum, haeredi Apostolorum, cui claves traditae et oves creditae sunt, tributum charitatis, oboedientiae et reverentiae offerre possunt.

Quapropter Beatitudinem Vestram enixis precibus obsecro, ut praesentem relationem dioecesanam decreto S. Congregationis Consistorialis de die 4. Novembris 1918 „de relationibus dioecesanis” accomodatam pro III. Quinquennio (1918-1922) super statu dioecesis Sanhippolytanae (St. Poelten) in Austria gratiosissime accipere dignetur.

Monita et mandata S. Congregationis Consistorialis de die 14. Januarii 1921 Prot. 51h/18 mihi data adimplere satagi. Vicarius Generalis statim nominatus est in persona Josephi Gruber, Praepositi Capituli cathedralis et s. theologiae doctoris. Distributiones quotidianae apud Capitulum cathedrale introduci nequeunt, quia propria fundatio Capituli non adest. Sed in dignitates et canonicos negligentes pecuniariae mulctae constitutae sunt, quae distributionum locum tenent (can. 395 § 2). Praebenda pro Canonico Poenitentiario hucusque confici non potuit et spes non adest gubernium praesens erectioni novae praebendae canonicalis consentire et foundationem huius praebendae dare.

Philosophiae et theologiae disciplina in seminario majori traditur sicut in aliis Austriae seminariis. Rectorem seminarii majoris certiorum feci, ut cursus philosophicus a theologico, in quantum fieri potest, segregetur. Plena separatio alumnorum, qui cursum philosophicum frequentant, est impossibilis. Superiorissis congregationum religiosarum mandatum est, ut sororum dotes ante earum mortem non ab instituto erogentur.

Quia mihi propter temporum injurias possibile non est, per meipsum obligationi beatorum Apostolorum Petri et Pauli limina visitandi satisfacere, sacerdos dioecesanus Ignatius Stidl occasione Congressus Eucharistici Romae celebrati sepulchra beatorum Apostolorum visitavit testantibus documentis alligatis.

Meis et cleri dilectissimi conaminibus robur et firmamentum addat Benedictio Apostolica, quam humillime efflagitare audio.

Pedes Sanctitatis Vestrae deosculans

oboedientissimus et humillimus filius

Ad S. Hippolytum (St. Poelten)  
die 1. m. Januarii 1923

+ Joannes Roessler  
Episcopus s. Hippolyti

Relatio

super statu dioecesis S. Hippolyti (St. Poelten)  
pro III. Quinquennio (1918-1922)  
juxta decretum S. Congregationis Consistorialis de die 4. Novembris 1918  
(Acta A. S. 1918, pag. 487)

Ad S. Hippolytum, die 1. m. Januarii 1923.

## Relatio

super statu dioecesis S. Hippolyti (St. Poelten)  
pro III. Quinquennio (1918-1922)  
juxta decretum S. Congregationis Consistorialis die 4. Novembris 1918  
(A.A.S. 1918 pag. 487)

### Caput I

*Generalia de statu materiali personarum et locorum.*

*1. Indicet Ordinarius nomen et cognomen suum, aetatem, originis locum, et institutum religiosum, hoc est religionem, si ad aliquam pertineat; quando fuerit consecratus, vel, si Abbas sit, benedictus; quando dioecesis regimen susceperit. Si Episcopum Auxiliarem habeat, an datus sit personae vel dioecesi.*

Joannes Roessler, natus 23. Junii 1850 in Nieder-Schrems, dioecesis S. Hippolyti, electus 10. Aprilis 1894, consecratus 10. Junii 1894 et in possessionem dioecesis introductus 13. Junii 1894.

*2. Breviter exponat quaenam sit origo dioecesis, quinam eius titulus seu gradus hierarchicus, quae privilegia potiora; si metropolitana sit, an et quas habeat suffraganeas sedes; et quem Ordinarium appellationis iuxta Codicem, can. 1594 § 2, teneat; si vero suffraganea sit, quem Metropolitam habeat; et num apud illum, vel apud alium Antistitem pro conferentiis episcopalibus conveniat; si denique nulli Metropolitae suffragetur, quem Metropolitam pro Concilio provinciali, pro conferentiis et pro iudicio appellationis teneat iuxta cann. 285, 292 et 1594 § 3.*

Dioecesis S. Hippolyti (St. Poelten) in Austria inferiori sita est. Eiusdem territorium usque ad annum 1785 jurisdictioni Episcopi Passaviensis in Bavaria subjectum erat. Sede Apostolica approbante Episcopus Passaviensis die 4. Julii 1784 declaravit, se jurisdictione in istud territorium decessurum esse et Sanctissimus f. r. Pius VI. Bulla diei 4. Februarii 1785 duos circulos Austriae inferioris in novam dioecesim a s. Hippolyto nuncupatam circumscripsit et simul episcopatu Neostadiensi (Wiener-Neustadt) suppresso atque extincto Episcopum Neostadiensem evocavit ad s. Hippolyti dioecesis regimen.

Privilegiis seu praerogativis sedes episcopalis Sanhippolytana non gaudet quoad causas ecclesiasticas.

Archiepiscopus Viennensis jure metropolitano super hanc dioecesim s. Hippolyti gaudet. Conferentiae episcopales quotannis apud Metropolitam celebrantur.

*3. Dicat praeterea:*

*a) quinam locus residentiae Ordinarii, cum indicationibus ad epistolas inscribendas necessariis;*

*b) quaenam amplitudo dioecesis, ditio civilis, caeli temperies, lingua;*

*c) quaenam summa incolarum et praecipua oppida; quot inter incolas sint catholici; si autem varii adsint ritus, quot catholici in singulis, et si acatholici inveniantur, quot sint, et in quales sectas dividantur;*

*d) qui numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum seminarii;*

*e) utrum adsit Capitulum cathedrale, an potius coetus consultorum dioecesanorum; an adsint alia Capitula, vel sacerdotum coetus instar Capitulorum, seu Communitiae, et quot;*

*f) in quot vicariatus foraneos, decanatus, archipresbyteratus aliasve circumscriptiones dioecesis divisa sit; quot sint paroeciae, cum numero fidelium earum quae maximae vel minimae sunt; an*

*adsint paroeciae per linguas seu nationes distinctae, et an per familias et non territorio divisae, et quo iure; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis, cann. 216, 217;*

*g) utrum et quaenam religiones virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sacerdotum;*

*h) utrum et quaenam religiones mulierum, cum numero domorum et religiosarum.*

a) Locus residentiae Ordinarii est „St. Poelten in Austria“.

b) Ad dioecesim pertinent duo circuli Austriae inferioris, nimirum circulus supra silvam Viennensem et circulus supra montem Manhart. Territorium dioecesis complectitur spatium 185 milliarium quadratorum. Duos reliquos circulos Austriae inferioris, scilicet infra montem Manhart et infra silvam Viennensem archidioecesis Viennensis complectitur, quae ex parte orientali huic dioecesi adjacet. Deinde dioecesi s. Hippolyti adjacent ex parte meridionali dioecesis Secoviensis in Styria, ex parte occidentali dioecesis Linciensis in Austria superiori et ex parte septentrionali dioecesis Budvicensis in Tschecho-Slovachia (Bohemia) et dioecesis Brunensis in Tschecho-Slovachia (Moravia).

Dioecesis habet coelum salubre. Lingua inter incolas usitata est germanica.

c) Summa incolarum in dioecesi est 660.000. Inter hos incolas sunt 644.000 catholici, 4400 acatholici (Lutherani), 2300 Judaei et reliqui confitentur aliam vel nullam religionem.

Praecipua oppida sunt:

1. In circulo supra silvam Viennensem: St. Poelten, Amstetten, Waidhofen ad Ybbisam, Mautern, Melk, Poechlarn, Tulln, Ybbs.

2. In circulo supra montem Manhart: Krems, Gmünd, Waidhofen ad Thayam, deinde Allentsteig, Drosendorf, Dürnstein, Eggenburg, Hardegg, Horn, Litschau, Stein, Weitra, Zwettl.

d) Numerus sacerdotum saecularium est 478

Numerus clericorum regularium est 374

Numerus alumnorum in seminario majori: 38

Numerus alumnorum in seminariis minoribus: 137

e) Est unum Capitulum cathedrale in St. Poelten cum 8 canonicis, inter quos 3 dignitarii (Praepositus, Decanus, Scholasticus).

f) Decanatus seu vicariatus foranei sunt 26 et 401 parochiae. Quoad numerum fidelium maximae sunt St. Poelten apud patres minores s. Francisci cum 16.576, Krems cum 12.657, St. Poelten apud ecclesiam cathedralem cum 12.047, Gmünd cum 8000, Gross-Siegharts cum 5400, Amstetten cum 9242, Waidhofen ad Ybbisam cum 7124, Wilhelmsburg cum 6235, Poechlarn cum 5929, Lilienfeld cum 5880, Herzogenburg cum 5356, Schrems cum 5050 et aliae 30 parochiae, quae 4000 - 5000 catholicos numerant.

Quoad numerum fidelium minimae sunt: Neuhaus cum 241, Spital cum 273, Ried cum 297, Mendling cum 322, Oed cum 345 fidelibus et 15 aliae, quae 300 - 400 fideles numerant.

Parochiae per linguas seu nationes distinctae post pacem in St. Germain compositam non adsunt, quia tres parochiae Beinhoefen, Rottenschachen et Zuggers nunc ad rempublicam Tschecho-Slovachia pertinent et usque ad definitivam dioecesis circumscriptionem Episcopus Budvicensis has tres parochias vi mandati Apostolici de die 1. m. Maji 1921 administrat. Hae tres parochiae sunt per nationes distinctae.

Praeter 401 ecclesias parochiales sunt 30 aliae ecclesiae publicae. Ex dictis 401 parochialibus ecclesiis sunt 117 parochiales ecclesiae curae regularium demandatae et quidem 115 ex his per incorporationem monasteriis factam et 2 (apud fratres minores s. Francisci in St. Poelten et apud Oblatos s. Francisci Salesii in Artstetten) non per incorporationem proprie factam.

Insuper exstant in dioecesi 66 ecclesiae, quas dicunt filiales, 68 oratoria in castellis nobilium, 20 oratoria in coemeteriis et 170 oratoria publica, in quibus celebratio s. Missae intra juris limites concessa est. Loci sacri, ad quos fideles peregrinantur, sunt plures, sed celeberrimi sunt Maria-Taferl, Sonntagsberg et Dreieichen, quibus adnumerari potest Hoheneich.

g) Instituta religiosa virorum sunt 14 cum 17 domibus et 374 sacerdotibus, 43 clericis et novitiis et 24 religiosis laicis. Sunt in dioecesi Canonici regulares ordinis s. Augustini in Herzogenburg, Canonici regulares ordinis Praemonstratensis in Geras. Monachi s. Benedicti in Altenburg, Göttweig, Melk et Seitenstetten. Monachi ordinis Cisterciensis in Lilienfeld et Zwettl, deinde monachi ordinum mendicantium s. Francisci et Capuzzini in St. Poelten et Scheibbs, servi B. M. V. in Jeutendorf, Langegg et Schoenbuehel, Patres piarum scholarum in Horn et Krems, Congregatio ss. Redemptoris in Eggenburg et Oblati s. Francisci Salesii in Artstetten.

h) Instituta religiosa mulierum sunt 16 cum 106 domibus et 1156 religiosis.

Adsunt in dioecesi:

Religiosae mulieres congregationis ss. Redemptoris, Virgines Anglicanae, Puellae christianae charitatis s. Vincentii a Paulo, Sorores scholarum III. ordinis s. Francisci, Sorores III. ordinis s. Francisci, Filiae divini Salvatoris, Sorores a s. cruce, sorores a s. Carolo Boromaeo, Filiae divini amoris, Sorores a Matre dolorosa, Servae ss. Cordis Jesu, Sorores Missionariae Franciscanae, Sorores III. ordinis s. Mariae de monte Carmelo.

## Caput II.

*De administratione temporalium bonorum, de inventariis et archivis.*

*4. An et quomodo iuxta civiles loci leges, facultas possidendi, acquirendi et administrandi, quae ecclesiae propria est, sarta tectaque sit; an potius coarctata; et si ita sit, quaenam sit conditio cleri et ecclesiarum.*

Ecclesia juxta leges civiles in dioecesi habet facultatem bona temporalia possidendi, acquirendi et administrandi. Patroni ecclesiarum habent curam quandam providentialem juxta nostras leges et gubernium civile exercet jus inspectionis supremae quoad administrationem bonorum ecclesiae et jus vigilantiae in administrando peculio ecclesiastico et tum legibus tum actibus administrationis participem se reddit.

*5. An institutum sit penes Curiam Consilium administrationis et quibusnam constet; et num Episcopus in administrativis actibus maioris momenti illud audierit iuxta praescripta can. 1520.* Consilium administrationis institutum est et constat praeter Episcopum duobus viris idoneis etiam juris civilis peritis: cancellario et eiusdem adjuncto. In administrationis actibus maioris momenti Episcopus illud audit.

*6. An administratores particulares, sive ecclesiastici sive saeculares, cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, aut loci pii canonice erecti, aut confraternitatum, reddant quotannis Ordinario rationem suae administrationis. Can. 1525.*

Administratores ecclesiastici et laici cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis et confraternitatum quotannis Ordinario rationem suae administrationis reddunt.

*7. An servata sint praescripta can. 1523 circa modum administrationis, et confectionem librorum accepti et expensi; can. 1526 de non inchoandis litibus sine Ordinarii scripta licentia; can. 1527 de abstinendo ab actibus Ordinariam administrationem excedentibus; et can. 1544 seqq. circa congruam dotem, tabulas piarum foundationum, aliaque.*

Praescripta can. 1523 circa modum administrationis et confectionem librorum accepti et expensi observantur.

Lites non inchoantur sine licentia scripta Ordinarii. Abstinent administratores ab actibus ordinariam administrationem excedentibus. Normae circa pias foundationes, circa congruam dotem, tabulas piarum foundationum pariter in dioecesi observantur.

*8. An qui bona fiduciaria ad pias causas acceperint, servent quae can. 1516 statuit, praesertim circa rationem Ordinario reddendam.*

Qui bona fiduciaria ad pias causas accipit, servat quae can. 1516 statuit.

*9. In venditione, oppignoratione, permutatione, locatione et emphyteusi bonorum servataene sint fideliter ab omnibus normae cann. 1530-1533, 1538-1542; et si non, quae remedia adhibita.*

*Praecipua quae acta sunt his de rebus negotia referantur.*

In venditione, oppignoratione, permutatione et locatione bonorum normae Codicis j. c., sed etiam leges civiles circa hanc rem servantur.

*10. Circa decimarum et primitiarum solutionem servanturne laudabiles consuetudines, praecavendo tamen a dura exactione. Can. 1502.*

Decimarum et primitiarum solutio in hac regione non usitata est.

*11. Circa oblationes in commodum paroeciae et missionis servanturne praescripta can. 1182 de earum administratione et ratione Ordinario reddenda; et collectores abstineantne a vexatoria et odiosa requisitione.*

Oblationes in commodum paroeciae et missionis destinatae ab iis administrantur, qui juxta can. 1182 ad hoc negotium vocantur (parochis) et ratio de earum administratione Ordinario redditur.

*12. Circa missarum stipem quomodo servantur quae can. 831 praescribit de taxa synodali; quae can. 835 de non colligendis a sacerdotibus missis, quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant; quae can. 841 de transmissione ad Ordinarium missarum exuberantium; quae cann. 843 et 844 de libro tam personali quam ecclesiarum proprio pro missis adnotandis.*

Taxa circa missarum stipem manualement per decretum Ordinarii consentiente Capitulo cathedrali definita est. Sacerdotes generatim missas non colligunt, quibus infra annum ipsi satisfacere nequeunt, sed tenentur post annum missas exuberantes ad Ordinarium transmittere. Rectores ecclesiae et alii sacerdotes, qui missarum eleemosynas recipere possunt, peculiarem habere debent librum, in quo accurate notandus est missarum receptarum numerus, intentio, eleemosyna et celebratio.

*13. An inventaria immobilium, mobilium et sacrae suppellectilis uniuscuiusque ecclesiae, parochiarum, capitulorum, confraternitatum aliorumque piorum locorum, quae canonice erecta sint, confecta in duplici exemplari, alio pro pio opere, alio pro Curia episcopali, habeantur iuxta cann. 1296, 1522. Cautumne sit, et quomodo, ne morte rectoris ecclesiae, aut superioris pii operis, mobilia et suppellectilia disperdantur aut subtrahantur. Cann. 1296, 1300-1302.*

Inventaria immobilium, mobilium et sacrae suppellectilis ecclesiarum parochialium, confraternitatum et parochiarum conficiuntur in duplici exemplari. Horum inventariorum unum exemplar conservatur in tabulario administrationis, alterum in archivo Curiae. Cautum est, ne morte rectoris ecclesiae mobilia et suppellectilia disperdantur, quia omnes clerici beneficiarii obligatione tenentur curandi testamento, ut canonica praescripta debitum effectum etiam in foro

civili sortiantur. Adveniente ipsorum morte decanus sacram supellectilem, libros, documenta et alia, quae ad ecclesiam pertinent et in eorum domo reperiuntur, occupat. Etiam missarum stipendia residua a decano accipiuntur.

*14. An Episcopus archivum habeat ad tramitem cann. 375-378 erectum et custoditum et cum documentis et libris de quibus in cann. 470 § 3, 1010, 1047, 1107; a quo tempore documenta incipiant, et an pergamena et incunabula habeantur; catalogine confecti sint; an aliud quoque secretum archivum, vel saltem armarium obseratum, in qua scripturae secretae custodiantur, servatis regulis cann. 379-380.*

Episcopus habet archivum seu tabularium dioecesanum, in quo instrumenta et scripturae, quae negotia dioecesana spectant, custodiuntur. Archivum semper est clausum et nemini illud ingredi licet sine Episcopi aut Vicarii Generalis et cancellarii licentia. In hoc archivo custodiuntur etiam authenticum exemplar librorum paroecialium ad Curiam episcopalem fine cuiuslibet anni transmissorum, librum, in quo nomina singulorum ordinatorum notantur cum documentis singularum ordinationum, rescripta S. Congregationum quoad dispensationes in causis matrimonialibus. Matrimonia conscientiae in peculiari libro adnotanda hucusque non contracta sunt. Habetur etiam armarium clausum, in quo scripturae secretae custodiuntur, cum duabus clavibus.

*15. An ecclesia cathedralis, collegiatae, paroeciales, confraternitates et pia loca canonice erecta sua quoque archiva detineant, cum documentis cuicumque piae causae propriis, cum inventariis mobilium et immobilium et cum catalogo omnium documentorum; et exemplar eiusdem catalogi exhibitumne fuit Curiae episcopali, et in archivo Curiae repositum iuxta can. 383.*

Ecclesia cathedralis, paroeciales et confraternitates sua quoque archiva detinent cum documentis, inventariis mobilium et immobilium. Exemplar documentorum et inventariorum in Curia episcopali repositum est.

### **Caput III.**

#### *De fide et cultu divino.*

*16. Utrum graves errores contra fidem serpent inter dioecesis fideles; vel aliqua praxis superstitiosa aut ab institutis catholicis aliena in dioecesi vigeat; an modernismi, theosophismi, spiritismi lues dioecesim infestet, et an aliqui e clero eisdem erroribus infecti sint. Quanam huius mali fuerit, vel adhuc sit causa.*

*Adsitne consilium a vigilantia, quot personis constet, et quo fructu munera sua expleat.*

*An professio fidei cum iuramento antimodernistico exigatur, et ab omnibus ad quos spectat fideliter praestetur iuxta can. 1406 et decretum S. Officii 22 Martii 1918.*

Graves errores contra fidem inter dioecesis fideles non serpunt. Utique non pauci praesertim in civitatibus indifferentismi lue infecti sunt et in centrīs industrialibus operarii permulti Socialismo inhaerent. Modernismus, theosophismus dioecesim non infestant et etiam spiritismus, qui ante plures annos non paucos inquietabat, nunc temporis e conspectu evolavit. Clerus iisdem erroribus infectus non est. Ut ab erroribus vitam et disciplinam populi christiani depravantibus fideles arceantur et ut fides in populo servetur, „Consilium a vigilantia“ juxta monitum Pii X. in dioecesi constitutum est. Consilium vigilantiae constat 3 canonicis et uno abbate mitrato, qui munus suum prompte susceperunt, sed hucusque, Deo sint laudes, ansam interveniendi non habuerunt. Professio fidei cum iuramento antimodernistico exigitur et praestatur ab omnibus, ad quos spectat.

*17. Utrum divinus cultus libere exerceatur; sin minus, unde obstacula proveniant: a civilibus legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel ab alia causa; quaenam ratio suppetat ad ea amovenda et num adhibeatur.*

Cultus divinus libere in dioecesi exercere potest et revera exercetur. Hostilitas nonnullorum perversorum hominum, scl. Socialistarum a ducibus suis instigatorum in nonnullis locis catholicorum festivitates perturbare conata est. Etiam in ecclesia cathedrali una vice tempore s. missionis tumultum fecerunt.

*18. An ecclesiae iura circa coemeteria sarta tectaue sint et canonicae de his leges servari possint et servantur. Cann. 1205 seqq.*

Coemeteria Ecclesiae propria in multis paroeciis sunt. Sed in aliis ecclesiis parochialibus coemeteria sunt societatis civilis propria. Etiam haec coemeteria benedicuntur et acatholici in eiusmodi coemeteriis interconfessionalibus reservatum spatium non benedictum habent. Quaelibet paroecia habet suum coemeterium apte clausum et caute custoditum. Religiosi exempti fere in omnibus monasteriis coemeterium proprium habent a communi distinctum aut cryptam.

*19. Utrum in cultu divino, in sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione; in sacramentorum administratione necnon in sacris functionibus, sive quoad ritus sive quoad linguam et cantum, leges canonicae ac liturgicae servantur. An in his, et quaenam, irreperint singulares consuetudines; sitne cura ut prudenter submoveantur, an potius tolerantur, et quanam de causa. Can. 731 seqq.; can. 1255 seqq. Adsintne in ecclesiis picturae, statuae aliaque a sanctitate loci aliena, vel minus consona liturgicis legibus; et quid fiat ut amoveantur.*

*Arceanturne semper a domo Dei profani conventus et nundinae etiam ad pias causas. Can. 1178.* In cultu divino, in Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione, in sacramentorum administratione leges canonicae et liturgicae rite servantur. Hoc est etiam dicendum in sacris functionibus sive quoad ritus sive quoad linguam et cantum. Utique nonnulli sacerdotes optarunt, ut in functionibus sacris, scl. in administratione baptismi et in exequiis, linguae vernaculae amplior locus daretur, sed hoc momento de hac re silent. Singulares consuetudines quoad sacramentorum administrationem et quoad cultum divinum, quae irreperint, non adsunt. Picturae, statuae sanctitati loci in ecclesiis conveniunt. Profani conventus et concentus musici a domo Dei arcentur.

*20. Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis vel paroeciis fidelium necessitati sufficiat.*

Numerus ecclesiarum in singulis oppidis et paroeciis fidelium necessitati adhuc sufficit. In nonnullis oppidis, in quibus ecclesiae parvae adsunt, uniones erectae sunt, quae omni opera enituntur, ut novae et ampliores ecclesiae aedificentur, e. g. in St. Poelten, ubi nova et ampla ecclesia necessaria est, et in Amstetten.

*21. An generatim ecclesiae mundaе sint, decenter ornatae et suppellectili sufficienti instructae. Adsintne egentes, squalidae, fatiscetes, et an et quid agatur ut reficiantur.*

*Recenseantur ecclesiae, si adsint, structurae arte, picturis aut pretiosa suppellectili insignes: et dicatur num congrua de his omnibus cura adhibeatur.*

Ecclesiae generatim mundaе et decenter ornatae sunt. Haud paucae ecclesiae splendore excellunt et grato animo pium fidelium et sacerdotum studium confiteri debeo, quo multis in locis adlaborant, ut decus ecclesiarum augeatur. Necessitatibus ecclesiarum satisfit proventibus ipsarum ecclesiarum, interventione patronorum, quorum officia et onera per speciales leges



civiles definiuntur, item proventibus fundi religionis, collectis et donis fidelium. Ut suppellex ecclesiastica semper munda sit, etiam in synodo nostra dioeciesana 1908 decreta convenientia promulgata sunt. Sunt etiam ecclesiae paroeciales egentes, sed non squalidae et fatiscetes. Ecclesiae structurae arte, picturis et pretiosa suppellectili insignes adsunt nonnullae. Praecellunt praesertim ecclesiae monasteriorum in Lilienfeld, Zwettl, Goettweig, Altenburg, Herzogenburg, Geras, Seitenstetten, Melk et deinde ecclesia cathedralis, ecclesiae in Krems, Waidhofen ad Thayam, Dreieichen, Scheibbs, Maria Taferl, St. Andrae ad Traisen et aliae. De his omnibus congrua cura adhibetur. Earum calices, ostensoria, cruces et paramenta sunt accurate recensita in inventariis. Apud nos etiam per leges ecclesiasticas et civiles cautum est, ne quid ratione materiae, artis vel antiquitatis pretiosum venundetur sine licentia.

*22. An ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, sit, prout debet, prorsus absolute semperque gratuitus. Can. 1181.*

Dum sacra peraguntur ingressus in ecclesiam semper gratuita est ita, ut quilibet vel pauperrimus absque gravamine libere ingredi ibique adstare valeat.

*23. An ecclesiae rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant, et eae in quibus SS. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot horas fidelibus pateant iuxta can. 1266. Quomodo observentur: cann. 1267 et 1268 circa custodiam SSmi Sacramenti in uno tantum loco et altari; et circa decorem et ornamentum praecellentissimum altaris eiusdem; can. 1269 circa tabernaculi statum; can. 1271 circa lumen coram SSmo.*

Ecclesiae rite custodiuntur, ne furtis vel profanationibus obnoxiae fiant. Sed nihilominus his tristibus temporibus multa furta in ecclesiis patrata sunt. Eae ecclesiae, in quibus ss. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot horas fidelibus patent. Ad praecavenda sacrilegia, profanationes et alia damna aeditui in ecclesiis constituti sunt et in synodo dioeciesana mandatum est, ut „ad hoc munus viri probi et religiosi tantum admittantur“. In religiosa domo ss. Eucharistia tantum in ecclesia vel in principali oratorio asservatur. Sanctissima Eucharistia habitualiter in uno tantum ecclesiae altari, regulariter in altari majori custoditur excepta ecclesia cathedrali. Altare, in quo ss. Sacramentum asservatur, est regulariter prae omnibus aliis ornatum. Particulae consecratae toties renovantur, quoties pro locorum conditione necessarium est. De regula renovatio alternis saltem hebdomadibus fit. In sacristia adest tabella, in qua renovatio Sanctissimi adnotatur. Tabernaculum inamovibile in media altaris parte positum est, undequaque solide clausum et decenter ornatum. Clavis tabernaculi diligentissime a sacerdote custoditur. Coram tabernaculo, in quo sanctissimum Sacramentum asservatur, lucet lampas die noctuque et quia oleum olivarum hodiernis temporibus haberi non potest, lumen electricum cum facultate Apostolica in plurimis ecclesiis adhibetur.

#### **Caput IV.**

*De iis, quae ad Ordinarium pertinent.*

*24. Indicet Ordinarius quibus redditibus ipse qua talis fruatur, sive sint ex bonis immobilibus, ex publico foenore vel aerario, ex incertis Curiae, ex dioecesis contributione, sive ex aliis causis: et an sibi sufficientes sint; qualem domum episcopalem inhabitet, et cum quibusnam convivat: an et quale cathedraticum exigit iuxta can. 1504; an et quales alias exactiones forte imposuerit iuxta cann. 1505, 1506; utrum aliquo aere alieno sive qua Ordinarius, sive qua persona privata gravetur; et qua ratione eius extinctioni consulat.*

Redditus Episcopi Sanhippolytani tenues sunt. Episcopus annua salaria habet ex fundo religionis et quidem transitorie a die 1. Martii 1920 100.000 coronas cum quibusdam addidamentis. Usque ad illum diem accepit tantummodo 30.000 coronas quolibet anno. Ex hac summa quotannis sub titulo vectigalium et tributorum publicorum haud parva pars detrahitur. Ad mensam episcopalem etiam pertinet praedium quoddam parvum, Ochsenburg dictum, cuius proventus non uberes sunt. Deinde necessitas, domum in Ochsenburg cum suis appertinentibus aedificiis semper sartam tectam propriis expensis Episcopi conservare mensam episcopalem gravat et minuit. Ceterum redditus hucusque sufficientes fuerunt, ita ut mensa episcopalis aere alieno non gravetur. Administratio praedii, in quam auctoritas civilis se non immiscet, seorsim a ceteris dioecesis et piorum operum bonis et proventibus ab Episcopo fit.

Domus, quam Episcopus in urbe Sanhippolytana inhabitat, non est Ordinario dioecesis, sed fundo sic dicto religionis propria et est pars illius aedificii, quod usque ad erectionem sedis episcopalis Sanhippolytanae monasterium Canonicorum juxta regulam S. Augustini fuit. Istud monasterium ab imperatore Josepho II. suppressum et una pars monasterii Episcopo, altera pars Capitulo cathedrali et sacerdotibus, qui curam animarum apud ecclesiam cathedralem habent, et Curiae dioecesanae assignata est.

Aedes episcopales Ordinarii dignitati congruunt et luxum non redolent. Convivit Episcopus in sua residentia cum secretario sacerdote et familiaribus, qui optima fama gaudent.

Cathedraticum numquam in dioecesi in usu fuit et non exigitur. Etiam aliae exactiones non impositae sunt.

*25. An episcopales aedes et bona mensae sive mobilia sive immobilia, accurato inventario confecto, curaverit iuxta praescripta cann. 1483, 1299 § 3 et 1301.*

Inventarium confectum est, in quo omnia utensilia et bona mobilia et etiam immobilia mensae episcopali addicta exprimuntur et describuntur, quod inventarium sede vacante interveniente Capitulo cathedrali successoribus traditur.

*26. An in ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuerit pro mensae bonis et res bene gestae fuerint iuxta cann. 432, 433.*

In ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem etiam oeconomicus pro mensae bonis juxta leges ecclesiasticas a Capitulo cathedrali constitutus est.

*27. Quomodo residentiae legi satisfaciat; qua frequentia pontificalia peragat, conciones habeat et pastoralibus litteris clerum et populum instruat; quomodo caveat ut ecclesiasticae leges notae fiant, et ut ab omnibus fideliter servantur. Can. 336.*

Praecepto residentiae semper religiosissime satisfeci. Numquam ab urbe episcopali discessi, nisi munus episcopale ad visitandas parochias et ad administrandum sacramentum confirmationis vel ad alias functiones obeundas me in alias dioecesis regiones avocaverit aut alia justa causa e. g. conferentia episcopalis apud Metropolitanam id exigerit. Saeviente tamen aestatis ardore per nonnullas hebdomadas in praedio Ochsenburg ad mensam episcopalem pertinente, quod duas horas a civitate episcopali distat et intra dioecesim situm est, resedi ad animi corporisque vires refocillandas. Temporibus a jure praescriptis semper ecclesiam cathedralem repetii.

In cathedrali templo Sacro solemniter fere omnibus diebus dominicis et festivis per annum interfui, tempore Adventus et Quadragesimae et aliis diebus concionem e suggestu ecclesiae habitam audivi, sacras functiones, quae in Ceremoniali Episcoporum et in Pontificali Romano ceu actus Episcopi assignantur, et pontificalia per annum diebus festivis majoribus peregi. Variis occasionibus tam in civitate Sanhippolytana, tam in aliis dioecesis locis sermones sacros et

conciones habui. In omnibus visitationibus canonicis infra s. Missam verbum divinum praedicavi. Pastoralibus litteris clerum et populum instruxi et curavi, ut ecclesiasticae leges et mandata Summi Pontificis in folio dioecetano nota fiant atque observationem legum ecclesiasticarum urgebam.

28. *Qua frequentia sacramentum confirmationis administret; et quomodo provideat, si ipse per se omnium necessitatibus consulere nequeat. Serventur in huius sacramenti collatione regulae de aetate confirmandorum et de patrinis.*

Sacramentum confirmationis in ecclesia cathedrali in hebdomada Pentecostes administravi. In reliquis dioecesis ecclesiis parochialibus huius sacramenti administratio unacum canonica visitatione jungebatur. Hucusque pro conditione dioecesis ab anno 1894 petitionibus fidelium satisfacere ipse solus volui. Tantum anno 1922 propter aegritudinem alius episcopus in 10 paroeciis me vice sacramentum confirmationis administravit. In collatione huius sacramenti canonicae regulae de aetate confirmandorum et de patrinis servantur. Ultra decimum quartum aetatis annum confirmatio differi non solet. Plerumque anno aetatis nono aut decimo Spiritum Sanctum accipiunt et in singularibus casibus etiam ii non arcentur, qui primam s. communionem nondum susceperunt juxta epistolam „Abrogata” 22. Junii 1897 Papae Leonis XIII. ad Episcopum Marsiliensem. Patrinus, si haberi potest, semper est unus, jam confirmatus, eiusdem sexus, cuius est confirmandus et excepto necessitatis casu diversus a patrino baptismi. Numerus eorum, qui confirmationis unctione ab anno 1918 usque ad 1922 incl. muniti sunt, est sequens:

Anno 1918	18.000
Anno 1919	11.480
Anno 1920	12.255
Anno 1921	12.830
Anno 1922	11.624
	66.189

29. *Quot in quinquennio sive per se sive per alium ad sacros ordines promoverit. Et an servaverit leges de non promovendis:*

a) *qui necessarii non sint vel utiles iuxta can. 969;*

b) *qui saltem integrum theologiae curriculum in seminario non peregerint. Can. 972 § 1.*

*An numerus ordinatorum par fuerit necessitati dioecesis. An aliquem incardinaverit, qua de causa, et num iuxta legem can. 111 seqq.*

In quinquennio elapso per me 64 ad sacros ordines majores promoti sunt, et quidem 40 saeculares et 24 regulares. Ordinati sunt ex saecularibus ii tantum, qui necessarii et utiles sunt ecclesiis dioecesis. Omnes ad ordines promoti saeculares integrum theologiae cursum in seminario peregerunt. Numerus ordinatorum non par fuit necessitati ecclesiae. Incardinatus in hoc quinquennio nullus sacerdos.

30. *An servatae sint regulae can. 877 seqq. in concedenda facultate vel licentia sacramentales confessiones audiendi; et can. 893 seqq. circa casus reservatos.*

Jurisdictio ad audiendas confessiones iis tantum concessa est, qui idonei per examina reperti sunt. Casus hucusque in dioecesi reservati cum consensu Capituli cathedralis anno 1916 propter mutatas temporum circumstantias sublatis sunt. Nunc temporis casus reservati in dioecesi non sunt.

*31. Circa sacram praedicationem, an consuluerit ut iuxta Const. S. P. Benedicti XV et normas a S. C. Consistoriali datas die 28 Iunii 1917 omnia rite procederent; ac maxime ut servarentur praescripta can. 1340 seqq. circa licentiam concedendam et can. 1347 circa modum et argumentum concionandi. An curaverit ut votum a can. 1345 expressum de brevi aliqua homilia in omnibus missis festivis habenda sensim ad effectum ducatur.*

Licentia concionandi tantummodo sacerdotibus, de quorum bonis moribus et sufficienti doctrina constat, concessa est et circa modum et argumentum concionandi leges ecclesiasticae observantur et juxta normas circa sacram praedicationem de die 28. Junii 1917 rite proceditur.

In missis festivis, quae diebus festis de praecepto et dominicis celebrantur, in omnibus ecclesiis parochialibus fit concio ad Sacrum matutinum brevior et ad Sacrum solemne, si saltem 2 sacerdotes adsunt, concio uberior. Cunctis diebus dominicis ad Vesperas sacras ex ambone sacerdos doctrinam christianam tum pro parvulis tum pro adultis exponit. Etiam tempore Quadragesimali et in multis ecclesiis etiam mense Majo praedicationes sacrae habentur. In ecclesia cathedrali statutis diebus Canonicus theologus, reliquis anni diebus dominicis et festivis Canonicus, qui parochiam cum ecclesia cathedrali conjunctam administrat aut sacerdotes sic dicti curati praedicationis munere strenue funguntur. Votum in c. 1345 expressum, in quantum fieri potest, ad effectum ducitur.

*32. An et quo fructu avertere pro viribus studuerit fideles a nuptiis cum acatholicis, infidelibus, aut impiis iuxta cann. 1060, 1064, 1065, 1071.*

Quoad nuptias cum acatholicis leges ecclesiasticae rite observantur. Fideles a mixtis nuptiis absterrentur et si eiusmodi nuptiae impediri nequeunt, curant pastores, ne contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur. Cautiones praescriptae semper exiguntur.

*33. An in quinquennio totam dioecesim ipse per se, aut per alium visitaverit iuxta cann. 343-346. An praeter loca et res, libros et archiva, personas quoque clericorum visitaverit, eos singillatim audiendo, ut cognoscat quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae confessionis frequentia etc. An inspexerit quoque quae habentur circa legatorum adimplementum et missarum manualium satisfactionem ac stipem, et an constiterit omnia ad legis normam procedere iuxta cann. 824-844. Et si abusus aliquos hac in re detexit, referat.*

Dioecesis per me ipsum, decanos et archidecanos visitatur et in visitatione paterna forma proceditur. Quia in provincia Viennensi ecclesiastica Episcopi visitationem canonicam statuto tempore (singulis quinquenniis) absolvere impares omnino sunt, juxta mandatum Concilii Provincialis Viennensis anno 1858 celebrati et ab Apostolica Sede approbati, decanis (vicariis foraneis) munus demandatum est parochias districtus eis assignati quotannis visitandi eum in finem, ut de earum statu ad Antistitem accurate referre queant (tit. II c. 10). Quapropter singulis quibusdam annis in hac quoque dioecesi omnes et singulae parochiae saeculares et regulares, quarum visitationem Episcopus ipse quolibet anno peragere non potest, per decanum canonicè visitantur et decani iterum a archidecanis visitari debent. Verumtamen et ego ipse quotannis diversos districtus alternatim visitavi eo modo, ut quovis biennio in omnibus decanatibus plures parochiae visitentur.

Ab anno 1894, quo munus episcopale adii, usque nunc omnes ecclesias parochiales et permultas etiam iteratis vicibus visitavi. In ecclesiis, quae a me visitantur, etiam s. Confirmationis sacramentum administratur, sacra concio ad fideles a me habetur, parvuli catechizantur et alias functiones sacrae peraguntur. Etiam in omnibus gymnasiis et scholis mediis horis ad religionem catholicam tradendam statutis interfui et discipulos ad vitam christianam hortatus sum. Claustra et instituta religiosa a commissariis episcopalibus visitantur, in quantum haec visitatio a me

peragi non potest. Praeter loca, res, libros et archiva in paroeciarum visitatione etiam visitationem personalem cleri peregrino eos singillatim audiendo, si circumstantiae hoc postulaverunt. Sed mihi, quia indigena huius dioecesis sum, fere omnes sacerdotes ita noti sunt, ut cognoscam, quae sit eorum vitae ratio.

Legatorum adimplementum, missarum manualium satisfactionem ac stipem inspexi. Abusus in hac re non detectus est.

*34. Utrum et quomodo dioecesanam synodum celebraverit, et quando novissima synodus congregata fuerit. Cann. 356-362.*

Synodum dioecesanam convocandi opportunitas Episcopis Sanhippolytanis per multos annos non adfuit. Ast non omiserunt, saltem quovis anno ea peragere, quae ad mentem Concilii Provincialis Viennensis anno 1858 celebrati pro supplenda, in quantum fieri potuit, synodo dioecesana procurare deberent. Convocati sunt singulis annis decani, ut communia cum iis haberentur consilia de rebus, de quibus alioquin in synodo dioecesana ageretur. Decani iterum in conventibus decanalibus istas res cum Episcopo mature perpensas communicaverunt aliis sacerdotibus eorumque sententias audierunt et Ordinario retulerunt. Prima synodus dioecesana a me anno 1908 celebrata est. Et sicut prioribus temporibus etiam nunc quotannis feria IV. et V. majoris hebdomadis decani ad Episcopum conveniunt ad consilia inter Ordinarium et decanos congregatos conferenda. Haec consuetudo et pro futuro servabitur, quo fit, ut synodus, si non decimo saltem anno cogi potest, suppleatur.

*35. Si sit metropolitanus aut conferentiarum episcopalium praeses: an et quando concilium et quando conferentias convocaverit; quinam interfuerint; et quo fructu res cesserit. Cann. 283-292. Ceteri Episcopi: an concilio provinciali, et conferentiis ipsi per se, aut saltem per procuratorem, interfuerint. Can. 287.*

Conferentiis episcopalibus in sede Metropolitana convocatis semper interfui.

*36. Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate; an episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam, servilitate erga humanas potestates vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati ecclesiae, aut dedecus statui ecclesiastico obvenerit.*

Inter civilem auctoritatem et inter Episcopum hucusque concordia fuit et est, ut dignitas et iurisdictio episcopalis semper servari potuerit. Servilitate erga humanas potestates non peccavi, quamvis in studiis meis est, urbanitate et modestia difficultates praevenire.

## **Caput V.**

### *De Curia dioecesana.*

*37. Utrum Curia dioecesana aedes proprias, sufficientes et convenientes habeat; et si non, an et quomodo huic defectui consuli queat. Exhibeatur prospectus officialium Curiae episcopalis, adiectis iudicibus synodalibus, examinadoribus, parochis consultoribus, censoribus librorum aliisque peculiaribus administris. Can. 363 seqq.*

Curia dioecesana in aedibus episcopalibus partem congruentem et sufficientem assignatam habet cum tabulario, in quo documenta custodiuntur.

Ad Curiam dioecesanam pertinet Vicarius Generalis Dr. Josephus Gruber, praepositus Capituli cathedralis, qui anno 1921 nominatus est. Vicarius Generalis simul munere officialis fungitur, quia paucitas negotiorum (can. 1573 § 1) suasit hoc officium ipsi Vicario Generali committi. Cancellarius ab Ordinario nominatus Carolus Forstner, canonicus ecclesiae cathedralis, expedit

accurate negotia cancellariae cum sacerdote adjuncto, cum notario episcopali et duobus revisoribus rationum, qui sunt sacerdotes, et cum aliis viris laicis.

Adsunt deinde promotor justitiae, qui simul defensor vinculi est, decem iudices prosynodales et examinatores, quatuor parochi consultores, duo notarii, unus cursor atque 13 censores librorum. Omnia acta currentia protocollo gestorum inseruntur et Ordinario praesentantur. Si agitur de rebus majoris momenti, causa defertur ad sessionem consistorialem, secus ad referentem.

Sententia decisiva Episcopo reservatur.

Tribunal seu iudicium ecclesiasticum constitutum est pro dijudicandis causis matrimonialibus et pro causis cleri contentiosis et criminalibus.

*38. De qualitatibus et opere Vicarii generalis et aliorum praecipuorum ministrorum adumbratio aliqua fiat.*

Vicarius Generalis est vir apprime in rebus ecclesiasticis eruditus, qui cleri et populi maxima aestimatione gaudet et etiam alii ministri ad amussim officium suum implent.

*39. Quinam sint Curiae proventus sive ex taxis, sive ex multis pecuniariis, sive ex aliis titulis: et quomodo erogantur.*

Curiae proventus sunt ex taxis et partim ex fundo religionis. Taxae intuitu deteriorationis valoris coronarum austriacarum sunt exiguae et si augmentatio taxarum urget, semper ad Metropolitanam de hac re recurritur. Taxa in nostra Curia conformis est ceteris, quae in provincia ecclesiastica vigent. Erogantur in sustentationem curialium.

## **Caput VI.**

### *De Seminario.*

*40. Si dioecesis seminario careat, quomodo consulatur pro comparandis sacerdotibus dioecesi necessariis. An studium sit seligendi bonae spei iuvenes, e dioecesi oriundos, ad clerum indigenam creandum; quo fructu et ubinam educantur. Can. 1353.*

In dioecesi adest seminarium majus et duo seminaria minora. Sacerdotes dant operam, ut pueros, qui indicia ecclesiasticae vocationis praebent, curis peculiaribus a saeculi contagiis arceant et ad pietatem informant.

*41. Si seminarium adsit, referatur enucleate:*

*a) de numero et statu eorum qui externam disciplinam regunt, qui spiritualiter alumnos dirigunt, qui docent, qui discunt;*

*b) de statu aedium et rusticationis domus;*

*c) de redditibus et oneribus, hoc est de statu activo et passivo pii instituti;*

*d) de iis quae videantur necessaria ad meliorem Seminarii statum.*

In seminario majori in St. Poelten est canonicus ecclesiae cathedralis rector, qui externam disciplinam regit et in seminario habitat. Eminent prudentia, doctrina et integritate vitae et est doctor juris canonici. Eum in regimine adjuvat rector spiritualis, philosophiae et theologiae doctor, qui ea, qua par est, prudentia, doctrina et vitae integritate ornatur.

Magistri seu professores alumnorum seminarii majoris sunt septem, viri probi et docti, qui non in seminario vivunt et jusjurandum a Motu proprio „Sacrorum Antistitum“ 1. Septembris 1910 praescriptum libenter emisissent et ineunte anno scholastico ante auspicias praelectiones textum Ordinario exhibent, quem sibi quisque doctorum in docendo proposuit.

Actu in seminario majori sunt 38 alumni, qui omnes bonae voluntatis sunt. Seminarium generatim regulis hygienicis respondet, est liberum a servitutibus et horto instructum. Domus rusticationis non adest et tempore feriali alumni in domum paternam revertuntur. Redditi seminarii majoris nunc non sufficiunt ad alendos alumnos et professores, quapropter fundus religionis ea, quae deficiunt, supplere tenetur. Tristibus hisce temporibus iteratis vicibus sacerdotes et fideles precibus adivi, ut victualia et pecuniam ad meliorem alumnorum sustentationem praestarent et non carere petii. Etiam Sanctissimus Pater vestes talaris et Breviaria gratiosissime candidatis sacerdotii transmisit. Seminarium majus possidet 1,394.600 coronas. Pensionem alumni non solvunt. Omnes gratis aluntur. Aere alieno non gravatur.

*42. Distinctumne sit seminarium in maius et minus iuxta can. 1354 § 2.*

*Et si prudentia suaserit, aut dioecesis conditio exegerit, ut dumtaxat seminarium minus seu schola apostolica, uti vocant, constitueretur, dicatur ubinam maiores alumni educantur: num in seminario proprio provinciali, seu regionali, seu interdioecesano apostolica auctoritate constituto iuxta can. 1354 § 3. Et de eius statu adumbratio aliqua fiat.*

Praeter seminarium majus existunt in dioecesi duo minora: unum anno 1855 ab Episcopo Ignatio Feigerle in civitate Krems erectum et anno 1871 in pagum Seitenstetten translatum, et alterum a me cum auxilio totius dioecesis anno 1905 in Melk erectum, quae duo seminaria propriam dotationem habent, quae ex collectis et donis sacerdotum et fidelium coalescit. Sed dotatio hisce temporibus non sufficit. In unoquoque horum duorum seminariorum minorum est rector quoad disciplinam externam et vice-rector, qui rectorem adjuvat et alumnos spiritualiter dirigit. Propter insufficientem dotationem duorum seminariorum etiam dioecesim rogavi, ut me in sustentandis seminariis adjuvent et non frustra. Qualitates rectorum et vice-rectorum pariter sunt tales, ut expectare liceat, haec seminaria laetissimos fructus affere. Alumni horum institutorum visitant gymnasium publicum in Seitenstetten et Melk, professores horum gymnasiolorum sunt monachi ordinis s. Benedicti. Aedes horum duorum seminariorum pariter regulis hygienicis respondent. Numerus horum alumnorum est 137.

*43. An servatae sint regulae: can. 1356 circa tributum seminaristicum; can. 1357 circa visitationem alumnorum et regulas internas; cann. 1358, 1360, 1361 circa directionem disciplinarem, oeconomicam et spiritualem; can. 1359 circa deputatos; can. 1363 circa alumnos admittendos et excludendos; can. 1371 circa dimittendos aut expellendos; cann. 1364-1366 circa institutionem litterariam et scientificam, praesertim philosophiae et theologiae; can. 1367 circa pietatis exercitia; can. 1369 circa spiritum ecclesiasticum fovendum et urbanitatis leges tradendas.*

Tributum seminaristicum generale in dioecesi in usu non est. Sed sacerdotes et laici voluntariis oblationibus et collectis necessitatibus occurrunt. Taxae seminaristicae impositio admirationem populi inferret. Sed si separatio inter ecclesiam et rempublicam, quam socialistae intendunt, revera in effectum deducatur, tributum seminaristicum necessarium esset.

Seminarium majus saepius ab Ordinario visitatur. In quantum fieri potest, examinibus finalibus quolibet exeunte anno scholastico instituendis interesse assuesco, nisi aliis legitimis causis impeditus sum. Tempore exercitiorum in hebdomada sacra seminarium adivi. Seminaria minora etiam a me visitantur.

In quolibet seminario (majori et minoribus) rector pro disciplina etiam pro curanda re familiari oeconomiam administrat, quia oeconomus proprius propter tenuitatem dotationis constitui non potest. Adest rector spiritualis in seminario majori, et in seminariis minoribus hic rector spiritualis vice-rector nominatur.

Magistri pro instructione, sicut in n. 41 dictum est, sunt 7 professores in seminario majori, sacerdotes doctrina, virtutibus et prudentia praestantes. In minoribus seminariis alumni cum aliis discipulis gymnasium visitant, quod a monachis s. Benedicti regitur. Etiam confessarii ordinarii et extraordinarii sufficientes adsunt. In seminariis moderamine et vigilantia me adjuvant deputati pro disciplina et pro oeconomia juxta leges ecclesiasticas, scl. duo canonici seniores pro disciplina et duo canonici pro administratione bonorum temporalium. In negotiis majoribus consilium deutorum petitur.

Quoad admittendos et excludendos alumnos et circa dimittendos et expellendos leges ecclesiasticae observantur. Hoc quinquennio elapso duo alumni ex seminario majori dimissi sunt. Quod studium attinet, in seminariis minoribus humaniora studia perficiuntur juxta methodum, quae in nostris mediis scholis publicis praescripta est, quia alumni horum seminariis gymnasium publicum visitant. Praeter linguam latinam, graecam et vernaculam etiam aliae disciplinae juxta leges civiles scl. religio, arithmetica, historia profana et ecclesiastica et aliae disciplinae traduntur. Tirones linguam latinam ita addiscunt, ut absoluto gymnasio studii theologicis vacare valeant. Studia humaniora octo annis perficiuntur. Praecipuum locum obtinet religionis disciplina.

Studium philosophiae jam in gymnasiis tractatur, sed accuratius hoc studium juxta mentem s. Thomae in seminario majori unacum disciplinis theologicis perficitur. Cursus theologicus integro quadriennio continetur et absolvitur sequenti ordine:

Anno I. Theologia fundamentalis seu generalis, historia revelationis divinae, hermeneutica, lingua hebraica, exegesis biblica veteris Testamenti juxta textum hebraicum. Generalis et specialis introductio in novum Testamentum, philosophia.

Anno II. Theologia dogmatica specialis, exegesis biblica novi Testamenti juxta textum graecum, praelectiones ex arte ecclesiastica, philosophia.

Anno III. Theologia moralis, patrologia et historia ecclesiastica.

Anno IV. Theologia pastoralis cum sacra eloquentia, paedagogia, catechetica et methodica, jus canonicum juxta Codicem j. c.

Deinde etiam habetur cursus in lingua arabica et syro-chaldaica. Pro alumni III. et IV. anni habetur cursus socialis. Praelectiones habentur in lingua latina, exceptis iis, quae doctrinam pastorem, catechetica, methodica, eloquentiam sacram et historiam ecclesiasticam, patrologiam et paedagogicam attinent. Etiam in philosophia habentur praelectiones in lingua vernacula juxta tenorem synodi nostrae dioecesanae. Omnes professores in seminario majori laurea doctorali ornati sunt.

Alumni seminarii juxta statuta et leges ecclesiasticas educantur et omni, quo potest fieri modo, pietas et disciplina excolitur. Omnes diebus singulis communiter matutinas et serotinas preces recitant, meditationi a direttore spirituali habitae intersunt et etiam s. sacrificio missae. Semel in hebdomada ad sacramentum poenitentiae accedunt et frequenter Eucharistico pane se reficiunt. Dominicis et festis diebus sacris Missarum et Vesperarum sollempnibus in ecclesia cathedrali adsunt, altari inserviunt et sacras ceremonias exercent sine disciplinae et studiorum detrimento. Duabus vicibus quolibet anno per dies continuos exercitiis spiritualibus vacant. Idem generatim de alumni seminariis minorum, in quantum fieri potest, dicendum est. Instructiones de rebus spiritualibus habentur. Saepius verae et christianae urbanitatis leges traduntur.

*44. An Ordinarius curaverit ut aliquis alumnus pietate et ingenio praestans peculiaris Urbis collegia, vel universitates sive facultates a S. Sede in Urbe vel alibi probatas adiret, ut ibidem in studiis perficeretur iuxta can. 1380.*



Curavi, ut aliqui alumni pietate et ingenio praestantes Universitates adirent. Nunc temporis unus sacerdos in Universitate Viennensi studiis vacat, ut gradus academicos consequatur et alumnus in Collegio Germanico-Hungarico Romae studia perficit.

## Caput VII.

### *De clero generatim.*

*45. An clerus generatim habeat quo honeste vivere possit. An pro senibus et infirmis domus aut saltem subsidia adsint quibus adiuvari possint.*

Usque ad novissima tempora clerus magnis angustiis premebatur. Causae huius tristis conditionis sunt bellum cruentissimum cum suis sequelis deplorandis et inaudita deterioratio valoris coronarum austriacarum. Ante paucos menses a gubernio pars congrua cleri aucta est, sed nihilominus multi in egestate vivunt propter nimiam charitatem annonae. Pro senibus et infirmis subsidia parva adsunt, quibus adjuvari possunt, sed propria domus dioecesana, in qua recipiuntur et sustentantur, non adest. Unio quaedam, sic dicta „Unio s. Hippolyti” quae suo tempore ad sublevandam cleri egestatem sub auspiciis Episcopi erecta est, in civitate Sanhippolytana domum habet, in qua sacerdotes infirmi aut pauperes, qui membra huius unionis sunt, modica summa habitare possent. Membra huius unionis tempore infirmitatis etiam pecunia adjuvantur. Existunt etiam in Curia episcopali foundationes piae, ex quarum redditibus exiguis sacerdotibus emeritis et infirmis subvenitur.

*46. An habeatur domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis; an etiam quo poenitentes recipiantur.*

Domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis non est. Sed clero in civitate Eggenburg in collegio patrum ss. Redemptoris et in seminario majori ad s. Hippolytum occasio ad spiritualia exercitia praebetur. Nomina eorum, qui ad spirituales exercitationes conveniunt, in folio dioecesano publicantur. Multi sacerdotes etiam apud societatem Jesu in Lainz et apud societatem Verbi Divini in St. Gabriel in dioecesi Viennensi exercitiis spiritualibus vacant.

Non adest domus, in qua poenitentes recipiuntur. Sed si eiusmodi casus evenit, poenitens in domum extra dioecesim scl. Mitterberg in dioecesi Linciensi aut Schernberg in archidioecesi Salisburgensi mittitur. In hoc quinquennio nullus sacerdos ad poenitentiam condemnabatur.

*47. Quo fructu Ordinarius curaverit ut clerici omnes ea adimpleant quae recensent:*

*can. 125 circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia; can. 126 circa periodicum recessum ad spiritualia exercitia; can. 130 circa examina annualia novorum sacerdotum; cann. 131 et 448 circa conferentias cleri; can. 133 circa cohabitationem cum mulieribus; can. 134 circa communem clericorum vitam, praesertim vicariorum cooperatorum cum suo parochio, can. 476 § 5; can. 135 circa recitationem officii divini; can. 136 circa habitus ecclesiastici et tonsurae delationem; can. 811 circa vestis talaris delationem in missae celebratione; can. 137 circa fideiussiones cavendas; cann. 138-140, 142 circa abstinentiam ab omnibus quae statum ecclesiasticum dedecent, a theatris et spectaculis mundanis et a negotiorum saecularium gestione.*

Paucissimis demptis clerus munere suo strenue et religiosissime fungitur et moribus statui sacerdotali convenientibus fulget. In quantum mihi notum est, clerici poenitentiae sacramento frequenter conscientiae maculas eluunt, spiritualibus exercitiis statutis temporibus vacant. Examina annualia novorum sacerdotum in sacrarum scientiarum disciplinis rite habentur. Ad

examina haec obeunda novi presbyteri per integrum biennium ad Curiam episcopalem convenire debent.

Conferentiae a Codice j. c. (can. 131, 448) praescriptae, quae apud nos conferentiae pastorales nominantur, singulis annis in quolibet decanatu duabus vicibus habentur et in quantum cura animarum permittit, omnes regulares et saeculares interesse conventui tenentur. Absentes causam legitimam impediendam indicare debent. Qui absque justa causa abfuerint, a secretario conferentiae in protocollo notandi sunt. Decanus praesidet, diem habendae collationis determinat et quaestiones ab Ordinario praescriptas singulis presbyteris ad elaborandum distribuit. Ad elaborandam quaestionem scriptam obligantur omnes in cura animarum constituti sacerdotes, qui annum sexagesimum nondum expleverunt. Exarationes scriptae et sententiae rem concernentes unacum protocollo, quod omnes sacerdotes praesentes subscribunt, ad Ordinarium transmittuntur, qui eas recenset et quoad sensum in publico folio dioecesano palam fecit. Praeter istas ab Episcopo praescriptas quaestiones etiam aliae materiae theologicae, morales, liturgicae et pastorales in conferentiis tractantur, prout necessitas aut utilitas exigit.

Quoad cohabitationem cleri cum mulieribus curavi, ut clerus adimpleat leges ecclesiasticas et tantummodo cum iis mulieribus cohabitavit, quarum morum honestas cum proveciori aetate conjuncta est. Consuetudo vitae communis inter clericos eo modo apud nos viget, ut cooperatores unacum parcho in eadem paroeciali domo commorentur et haec consuetudo semper in dioecesi servatur.

Officium divinum a clero, in quantum mihi notum est, religiose persolvitur. Sacerdotes decentem habitum secundum legitimam consuetudinem deferunt. Juxta tenorem Concilii Provincialis Viennensis ad deambulandum seu ad viam longiorem perficiendam brevioribus utuntur vestimentis, quae nigra vel saltem subobscura esse debent et ad modestiam omnino composita. Si sacerdos ad moribundum vocatur, qui longe abest a loco parochiali, alia veste uti potest quam talari, sed decenti et honesta. In ipso loco parochiali aegrotorum provisio in veste talari fit et etiam tunc sacerdotes talem vestem habere solent, quum in scholis publicis religionis doctrinam tradunt excepto casu, quo schola longe distet. Tonsura deferri debet. Vestis talaris in missae celebratione et in administratione sacramentorum et Sacramentalium et in peragendis aliis functionibus sacris sive in ecclesia sive extra ecclesiam defertur.

A fidei jubendo (Bürgschaft) clerici abstinent et etiam ab iis, quae statum suum dedecent. Si aliqui venationi indulgent, tamen numquam clamorosam exercent. Deputatorum munus non acceptatur sine licentia Ordinarii. Nunc temporis duo sacerdotes hoc munere funguntur. Theatra et spectacula mundana a clericis non visitantur.

*48. An et quot clericis licentiam concesserit, de qua in can. 139 § 3, operam suam praestandi in arcis seu mensis nummulariis parsimonialibus, cooperativis, ruralibus, aut similibus: an ratione communis boni, deficientibus laicis, et ob utilitatem religionis id concesserit; et num adhuc hae concessionis causae perseverent; an mensae nummulariae, in quibus clerici opus aliquod agunt, honestate personarum et principiorum tales sint, ut non dedecet sacerdotem in iis partem habere; an in iisdem administratio ita recte geratur, ut omne absit decoctionis periculum, in quo sacerdotes convoluti maneant; et quomodo caverit de securitate huius notitiae; an denique qui hisce arcis applicati sunt a religiosa sacerdotalis vitae praxi deflexerint, et molestiam aliquam attulerint; et si ita sit, Ordinarius casus proponat et remedia suggerat.*

Nonnullis tantum clericis forsitan decem licentiam dedi operam suam praestandi in arcis nummulariis parsimonialibus et hoc feci ratione boni communis deficientibus laicis. Hae mensae nummulariae honestate personarum et principiorum tales sunt, ut non dedecet, sacerdotem in iis partem habere. Abest in administratione harum mensarum omne decoctionis periculum et

sacerdotes his arcis applicati molestiam aliquam non attulerunt et a religiosa sacerdotalis vitae praxi non deflexerunt.

*49. An clerus praestet eam quam can. 127 praescribit obedientiam et reverentiam erga Ordinarium suum, et erga Apostolicam Sedem; et si sint qui graviter deficiunt, eos Ordinarius denunciaret. Si adsit in dioecesi clerus diversi ritus et linguae, quaenam sit inter clericos caritas et quaenam Ordinario cura fuerit pro utrisque.*

Quoad oboedientiam et reverentiam Ordinario debitam mihi non est ansa querendi. Etiam erga Sedem Apostolicam sacerdotes semper reverentiam et oboedientiam exhibuerunt.

Clerus diversi ritus non adest et etiam non diversae linguae. Utique plures sacerdotes praeter linguam germanicam linguam slavica callent, sed non est discordia inter illos ex Bohemia oriundos et inter indigenas.

*50. An generatim clerus officia obsequenter suscipiat, quae Ordinarius iuxta can. 128 eis committit; an habeantur, qui quamvis viribus polleant, otiosi tamen vivere malunt; si habeantur qui Universitates laicas frequentant, an hi servaverint ac servant leges a S. C. Consistoriali ad rem statutas; et si huiusmodi adsint, eos Ordinarius indicet.*

Officia ab Episcopo clericis commissa libenter suscipiuntur et implentur. Clerici otiosi non adsunt, quia propter sacerdotum penuriam in dioecesi vigentem omnes sacerdotes, qui viribus pollent, ad laborem vocantur. Saepius evenit, ut presbyteri juniores infirmitatis causa per aliquod tempus ab omni labore abstinere debent. Qui Universitates laicas frequentare debent, in domo religiosa habitant. Qui in Universitate Viennensi nunc temporis studiis vacat, in Collegio sic dicto s. Thomae habitat, cuius patronus et rector supremus est Archiepiscopus Viennensis.

*51. An adsint sacerdotes qui in diariis et libellis periodicis scribant vel ea moderentur; et qua facultate et utilitate id peragant. Can. 1386 § 1.*

Adsunt nonnulli sacerdotes, qui in diariis et libellis periodicis scribant et ea moderantur. Hoc faciunt cum consensu Ordinarii et bono fructu et utilitate.

*52. An adsint de clero qui cum scandalo diaria et ephemerides vel libros legant quae dedecent; qui factionibus municipalibus vel politicis indebite se immisceant; qui ad statum saecularem redacti sint, aut per nefas ad illum sponte sua sint regressi. Cann. 211-214; et quid fiat ad horum malorum remedium.*

An adsint clerici, qui cum scandalo diaria et ephemerides vel libros legant, quae dedecent, mihi notum non est. Utique mihi hoc de nonnullis et paucis sacerdotibus narratum est, sed num haec denunciatio veritati respondeat, nescio.

Sacerdotes diversis rebus mere politicis et factionibus municipalibus indebite se non immiscent. Si res politicae cum rebus religiosis vel ecclesiasticis intime cohaerent, sacerdotes ut boni pastores fideles monent.

Ad statum saecularem pauci clerici regressi sunt, qui e seminario majori voluntarie aut coacte post susceptos ordines minores egressi sunt. Clericus major, qui cum licentia Apostolica ad statum laicalem rediit, non adest. Sed unus sacerdos (Poeksteiner) jam ante plures annos et alter (Braunsteiner) anno 1922 per nefas ad statum laicalem regressi sunt et uxorem duxerunt. Beneficium isti infelices sacerdotes non habuerunt. Post suum regressum nullum sacrum ministerium exercuerunt.

53. *An et quo fructu aliquas ex poenis recensitis in can. 2298 Ordinarius irrogaverit, et casus graviores referat.*

Poenae in can. 2298 recensitae hucusque in hoc quinquennio nulli clericorum irrogatae sunt. Sed duo sacerdotes in n. 52 nominati, qui matrimonium civile contraxerunt, incurrerunt excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam (can. 2388).

### **Caput VIII.** *De Capitulis.*

54. *Si desit Capitulum cathedrale, dicatur quot consultores dioecesani habeantur, et serventur ne circa ipsos quae cann. 424-428 statuunt.*

Capitulum cathedrale non deest.

55. *Si adsit cathedrale Capitulum, dicatur quot dignitatibus et canonicis constet; adsintne officia canonici theologi et poenitentiarum et serventur ne ab ipsis quae cann. 398-401 iubent; habeantur ne alii beneficiati minores, et quot.*

Adest Capitulum cathedrale, quod octo canonicis constat, quorum tres sunt dignitates: praepositus, decanus et scholasticus. Juxta Breve Apostolicum 20. Julii 1853 et tenore rescripti s. C. Rit. 20. Septembris 1853 hi dignitarii usu pontificalium gaudent. Dignitarii hoc jure utuntur juxta Motu proprio de Protonotariis 21. Febr. 1905. Reliquis canonicis signum capitulare scl. crux in catena aurea competit; usus Mozettae et Biretti violacei jam ab erectione dioecesis omnibus canonicis concessus est. Biretti violacei usus tum capitularibus, tum honorariis canonicis in choro et in sacris functionibus obeundis expresse confirmatum est per Breve Apostolicum 25. Septembris 1860. Deinde tenore Brevis Apostolici 22. April 1898 dignitarii et canonici ecclesiae cathedralis festis illis diebus, quibus Episcopus Cappa magna indutus incedit, similiter Cappam magnam gestare possunt. Canonici honorarii hoc privilegio non gaudent. Exstat peculiaris praebenda canonici theologi, quae ita est erecta, ut canonicus theologus simul munere professoris theologiae seu docentis, aut directoris vel directoris spiritualis in seminario majori fungatur et statutis diebus ad sermones sacros de ambone ecclesiae cathedralis habendos obligatus sit. Specialis praebenda canonici poenitentiarum in Capitulo cathedrali deest. Sed ille canonicorum, qui parochiam cum ecclesia cathedrali conjunctam administrat, simul ea, quae canonici poenitentiarum sunt, juxta normam ab Episcopo praescriptam sedulo curat, ut legi ecclesiasticae satisfiat. Quominus nova praebenda pro canonico poenitentiarum erigatur, obstat defectus proventuum, quia omnes ecclesiae cathedralis canonici ex fundo, quem dicunt religionis et qui sub administratione regiminis civilis est, annua salaria habent. Canonicus theologus est doctor s. theologiae et canonicus poenitentiarum non habet officium in dioecesi, cui adnexa est jurisdictio in foro externo. Alii beneficiati minores in ecclesia cathedrali non habentur.

56. *Exponatur quae sit dotatio Capituli seu beneficiatorum. In distributionum seu punctaturarum disciplina vigeantne et serventur regulae can. 395.*

Omnes dignitarii et canonici ecclesiae cathedralis annua salaria ex fundo religionis habent, quae a gubernio solvuntur unicuique canonico juxta legem ab anno 1922 vigentem in Capitulis novis, quae propriam fundationem non habent, primo dignitario debentur 44.000 coronae et unicuique ceterorum dignitariorum et simplicium canonicorum 33.000 coronae cum quibusdam additamentis.

Distributiones quotidianae introduci nequeunt, quia propria fundatio Capituli deest. Sed in dignitates et canonicos negligentis pecuniariae mulctae constitutae sunt, quae distributionum locum tenent. Etiam punctator nominatus est, qui absentes a divinis officiis quotidie notat.

*57. Si adsint canonicatus aut beneficia patronata, curaveritne Ordinarius, et quo fructu, ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus, aut saltem loco iuris praesentandi, acceptarent, iuxta can. 1451.*

Canonicatus aut beneficia patronata non adsunt. Collatio dignitatum fit a Sede Apostolica et collatio canonicorum audito Capitulo ab Episcopo.

*58. Adsintne statuta iuxta cann. 410 et 416.*

Capitulum cathedrale habet statuta a die 14. Novembris 1876 approbata ab Episcopo, in quibus designatur norma, ad quam canonici in servitio altaris funguntur per turnum, quae statuta ad amussim servantur.

*59. Quot adsint canonici ad honorem; et servanturne de ipsis regulae can. 406.*

In dioecesi sex canonici honorarii adsunt, qui ab Episcopo, audito Capitulo, nominantur. Omnes Canonici honorarii sunt dioecesani et in dioecesi vivunt. Hi canonici honorarii utuntur omnibus honorificis Capituli cathedralis quoad vestitum excepta Cappa magna, quae solummodo canonicis actualibus concessa est.

*60. Sede episcopali vacante, quaenam vigeat ratio providendi dioecesis regimini; servatane fuit, ultima vacationis vice, disciplina quam cann. 429-443 praescribunt.*

Sede vacante Capitulum libere procedere potest ad Vicarii capitularis electionem. Ultima vacationis vice haec providendi ratio rite servata fuit. Vicarii capitularis et oeconomii constitutio per actum capitularem facta est.

*61. Dicatur aliquid de modo quo Capitulum sacras functiones peragit, quo se gerit erga suum Ordinarium, et de aliis quae ad eius bonum nomen pertinent.*

Canonici magna aestimatione in dioecesi gaudent. Sacras functiones accurate peragunt, concordantes inter se. Unio inter Ordinarium et Capitulum semper viguit et magni sunt fructus, qui ex hac concordia in bonum dioecesis succreverunt.

*62. Si adsint in dioecesi Capitula, praesertim insignia, vel Communiae cleri ad modum Capitulum, Ordinarius de iis referat analoge ad ea quae pro cathedrali Capitulo sunt requisita.*

Alia Capitula non adsunt. Ante erectionem dioecesis ecclesiae collegiatae fuerunt in Ardagger, Eisgarn, Zwettl, quae decursu temporum suppressae sunt. Ardagger et Zwettl in praeposituras titulares, Eisgarn in praeposituram sic dictam realem cum parochia conjunctam transmutatae sunt.

## **Caput IX.**

### *De Vicariis foraneis et parochis.*

*63. Referatur an Vicarii foranei adimpleant diligenter ea omnia quae can. 447 praescribit de vigilantia in ecclesiasticos viros sui ambitus seu districtus, de cura ut canonicae leges et decreta Ordinarii observentur, de aliisque; an paroecias juxta normas ab Ordinario datas visitent; et an quotannis rationem reddant Ordinario de statu sui vicariatus iuxta can. 449.*

Vicarii foranei, etiam decani dicti, sunt 26. Diligenter omnia adimplent, quae in Codice j. c. praescribuntur de vigilantia in ecclesiasticos viros sui ambitus, de cura, ut canonicae leges et decreta Ordinarii observentur, ut debitae cautelae circa materiam Sacrificii Eucharistici adhibeantur et sacrae functiones rite celebrentur, ut bona ecclesiastica diligenter administrantur et omnia onera, inprimis Missarum impleantur.

Parochias juxta legem dioecesanam quolibet anno visitant et elapso anno Ordinario de statu sui vicariatus rationem reddunt. Concilium Provinciale Viennense de decanis (t. 2 c. 9) „Insignis apud nos cumprimis utilitas decanorum per dioecesim dispositorum, ut Antistiti oculi et auris loco sint.“

*64. An paroeciae omnes de suo proprio pastore sint provisae; et serventur lex a can. 460 lata de uno dumtaxat pastore in unaquaque paroecia habendo, reprobata qualibet consuetudine et revocato quolibet privilegio.*

Paroeciae de suo proprio pastore sunt provisae, sed propter penuriam sacerdotum saepius evenit, ut una vel altera paroecia cum exiguo fidelium numero vacans ad tempus a pastore viciniore administratur. Non in omnibus paroeciis tot sacerdotes sunt, quot requiruntur. In unaquaque paroecia unus tantum parochus est, qui actualiter curam animarum gerit, et non plures parochi.

*65. An adsint paroeciae amovibiles, quot, et qua de causa. An et quot unitae Capitulis sive cathedrali, sive collegiatis, domui religiosae, aut alii morali personae: et in hoc casu utrum serventur leges de vicario curato constituendo cum libero exercitio animarum curae iuxta statuta in cann. 415, 471 et 609 § 1. Et si religiosus sit parochus, an sarta tectaue sint quae Cann. 630, 631 hac de re praescribunt.*

Paroeciae saeculares amovibiles non adsunt. Amovibiles sunt administratores illarum parochiarum, quae ordinibus religiosis addictae sunt. Unitae domibus religiosis paroeciae sunt 117 inter 401. Servantur quoad has parochias leges de vicario curato constituendo cum libero exercitio animarum curae assignata eidem congrua fructuum portione. Parochiae 115 curae regularium demandatae sunt per incorporationem pleno jure monasteriis factam et duae paroeciae non per incorporationem proprie factam, scilicet parochia ss. Trinitatis in St. Poelten apud fratres minores s. Francisci et in Artstetten apud Oblatos s. Francisci Salesii, quae duae paroeciae ab Episcopo suo tempore consentiente Capitulo hisce religiosis addictae sunt. Si religiosus est parochus, manet adstrictus ad observantiam votorum et subest in iis, quae ad religiosas disciplinam attinent, Superiori, in iis autem, quae curam animarum attinent, subest jurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii. Hae legum ecclesiasticarum dispositiones semper in dioecesi observatae sunt.

*66. An et quot adsint patronatui obnoxiae; an et quo fructu cura fuerit Ordinario ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus aut saltem loco iuris praesentandi acceptarent iuxta can. 1451; sin minus, an in praesentatione servatae sint leges a cann. 1457 seqq. latae, ac maxime a can. 1452 in casu electionis seu praesentationis popularis.*

Parochiae fere omnes obnoxiae sunt juri patronatus ecclesiastico vel laico. Liberae Episcopi collationi subjiciuntur tantummodo parochia cum ecclesia cathedrali conjuncta et parochia Abstetten, deinde 3 beneficia simplicia (duo in Waidhofen ad Ybbisam et unum in Weinzierl prope Krems).

Patroni jus patronatus, quo fruuntur, praesertim jus praesentandi semper exercuerunt et nulla spes adest, ut loco sui juris spiritualia suffragia acceptent. Tantummodo Episcopus Linciensis quoad vacantem parochiam Haidershofen in nostra dioecesi can. 1451 ultro observavit. Patronus cum

jure patronatus ecclesiastici praesentare debet unum ex tribus ab Ordinario designatis; patronus autem cum jure patronatus laici dignum aliquem inter plures. Haec consuetudo, quae cum legibus civilibus concordat, etiam nunc observatur. Praesentationes populares ad beneficia aequiparantur praesentationibus, quae fiunt a patrono cum jure patronatus laici, quapropter spes apud nos non affulget, populum semper clericum eligere inter tres ab Ordinario designatos. Ceterum notare debeo, in nostra dioecesi non adesse praesentationes populares ad beneficia curata, sed tantum ad 12 beneficia simplicia.

*67. An provisio paroeciarum quae sunt liberae collationis fiat per concursum, et qua ratione concursus celebretur. Can. 455 seqq.*

Provisio omnium parochiarum fit per concursum generalem (can. 459, § 4). Concursus hoc modo celebratur: Ad doctrinam in sacris disciplinis explorandam bina quotannis examina generalia pro concursu parochiali instituuntur ita, ut qui iisdem satisfecerunt, per sexennium ad munus parochiale adipiscendum habiles censeantur. Concursus quoad scientiam habetur per examinatores prosynodales ad sacram canonum normam electos. Quovis exeunte sexennio, qui approbati fuerunt, denuo concursui se sistunt oportet, a quo onere certis sub conditionibus dispensari possunt. Ad hoc scientiae tentamen juxta Concilium nostrum Provinciale accessus patet omnibus sacerdotibus fide et moribus integris, qui per triennium animarum curae laudabilem operam impendunt vel ex quinque saltem annis facultate confessiones audiendi pollent. Aspirantes ad beneficium parochiale immediate ante eius collationem examinantur ab examinatore prosynodalibus de dotibus canonice requisitis, quin tamen praesentes sint, non autem simul quoad eorum scientiam.

*68. Quibus redditibus parochi vivant, an ex immobilibus, ex publico foenore vel aerario, an ex incertis stolae, et fidelium vel dioecesis contributione. An commode generatim vivant, et an adsint qui egestate laborant. An domo propria paroeciali, saltem conducta eaque sufficienti, generatim instructi sint; et si non, an studium sit et probabilitas ut ea instrui valeant.*

Parochi vivunt partim ex immobilibus partim ex publico aerario et ex incertis stolae contributionibus. In novissimis temporibus salaria annua a regimine civili aucta sunt, sed nihilominus plures vitam in egestate ducunt.

Omnes paroeciae domo propria sufficienti paroeciali instructae sunt excepta parochia Plankenstein, in qua parochus in castello quodam caduco, quod etiam aliis finibus inservire debet, habitat.

*69. An parochi generatim satisfaciant iis quae praescribunt: can. 463 § 4 circa gratuitum ministerium praestandum iis qui solvendo pares non sunt; can. 465 circa residentiam; can. 466 circa applicationem missae pro populo; can. 467 circa sacramentorum administrationem et animarum salutis zelum; can. 468 circa infirmorum curam; can. 469 circa vigilantiam ne errores contra fidem et vitia subrepan et circa opera caritatis, fidei et pietatis in paroecia instituenda et fovenda; can. 470 circa paroeciales libros recte conficiendos; circa exemplaria tradenda quotannis Curiae episcopali; can. 785 circa sacra olea a parochis loco decenti ac tuto custodienda.*

Parochi generatim officiis suis sincere satisfaciunt.

Gratuitum ministerium non denegant iis, qui solvendo pares non sunt, residentiam observant, obligationem applicandae Missae pro populo adimplent, sacramenta fidelibus administrant, quoties legitime petunt, animarum salutis zelum ostendunt, sedula cura aegrotos adjuvant et vigilant, ne errores contra fidem et vitia subrepan, opera charitatis, fidei et pietatis foveant,

parochiales libros conscribunt et diligenter asservant, quorum exemplaria quotannis Curiae episcopali traduntur, et sacra olea in ecclesia in decenti custodia asservant. Sunt utique inter parochos nonnulli, qui zelo animarum non praefulgent, sed maior eorum pars suo fervore excellit.

*70. Circa baptismum: an quaelibet ecclesia parochialis sacro fonte sit instructa iuxta can. 774, et quoties infantes sine periculo aut gravi incommodo ad paroecialem transferri nequeant, an parochus ad proximiorum ecclesiam vel publicum oratorium pro sacramento ministrando ultro libenterque accedat iuxta can. 775.*

Quaelibet ecclesia parochialis baptismalem fontem habet.

In dioecesi baptismus semper in ecclesia ad fontem sacrum administratur, nisi propter infantis infirmitatem aut aliam justam causam exceptio admittatur. Si periculum in mora est, etiam in domibus privatorum confertur, sed hoc raro fit certiorato Ordinario. Similiter, ne ex nimis frigore tenerae proli damnum inferatur, in dioecesi per legitimam consuetudinem permissum est, ut sacra functio etiam in sacristia aut in domo parochi calida peragi possit aqua baptismali calefacta. Etiam in oratorio publico intra fines paroeciae baptismus conferri potest, sed hoc fit tantum in casibus particularibus.

*71. Circa SSmam Eucharistiam: an parochis cura sit studiumque indefessum ut, iuxta can. 863, fideles saepius et etiam quotidie pane Eucharistico reficiantur; ut iuxta can. 865 infirmi, dum plene sunt sui compotes, S. Viaticum suscipiant; ut iuxta cann. 1273, 1274 et 1275 cultus SSmi Sacramenti augeatur, excitando fideles ad quotidianam missae adsistentiam, ad visitationem serotinam peragenda, exponendo statis temporibus SSmam Eucharistiam, aliaque utilia peragendo; ut iuxta can. 854, servata quidem parentibus et confessariis debita libertate ad iudicandum de sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem, iidem parentes ne negligant officium suum, et alii abusus ne subreant.*

Parochi pro viribus curant fideles suos ad sacramentorum frequentiam et ad s. communionem, etiam quotidianam excitare. Revera in multis paroeciis non pauci fideles saepius, imo quotidie pane Eucharistico reficiuntur. Infirmi viaticum, dum pleni sunt sui compotes, suscipiunt. In nonnullis majoribus civitatibus, in quibus etiam fideles sunt, qui indifferentissimi lue infecti sunt aut socialisticae sectae adhaerent, saepius evenit, ut parochus sero vocetur. Fideles excitantur ad quotidianam missae adsistentiam, sed tantummodo paucis propter injuriam temporum possibile est, quotidie sacrificio missae interesse. Pastores omnem curam indefessam habent, ut saltem diebus dominicis et festivis fideles in ecclesiam conveniant et ss. Sacramentum visitent.

Saepius ss. Eucharistia exponitur ad adorationem. In nostra dioecesi perpetua ss. Sacramenti adoratio ante plures annos introducta est et hisce diebus multi fideles ad sacramenta suscipienda accedunt. Haec adoratio ubique majori, qua fieri potest, solemnitate habetur.

Quoad pueros ad primam communionem admittendos regula a Catechismo Concilii Tridentini tradita et decretum s. Congreg. Sacram. 8. Augusti 1910 „Quam singulari” observatur. Curant parochi, ut parentes in hac re non negligant officium suum. Tristibus nostris temporibus sunt parentes, qui puerorum religiosam institutionem non tantum negligunt, sed pueros a s. communionem dehortantur et arcent. Hoc fit interdum in centris industrialibus.

*72. Circa extremam unctionem: an parochis cura sit, ut hoc sacramentum ab infirmis recipiatur dum sui plene compotes sunt.*

Parochis cura est, ut extrema unctio ab infirmis recipiatur, dum sui pleni compotes sunt.



73. *Circa matrimonii celebrationem: an parochis omnibus cura sit diligens observandi quae praescripta sunt in Codice lib. III, tit. VII, circa libertatem status, impedimentorum dispensationem, sacros ritus, et adnotationem matrimonii.*

Parochi etiam vigilant, ut circa matrimonii celebrationem omnia observentur, quae ab ecclesia circa libertatem status, dispensationem impedimentorum, sacros ritus et adnotationem in libris parochialibus praescripta sunt.

74. *Circa catechesim: an ab omnibus parochis diligenter serventur quae praescribit can. 1330 circa peculiarem catechismum pro prima confessione et communione et pro confirmatione puerorum; et cann. 1331-1336 de catechismo diebus festis impartiendo tum pueris tum adultis.* Parochi et eorum cooperatores indefesse pueros in catechismo instruunt et per tempus notabile ad sacramenta poenitentiae et confirmationis rite suscipienda praeparant et peculiari studio pueros instruunt, ut sancte Sancta primum de altari libent.

75. *Circa evangelii explanationem: an ab omnibus lex servetur can. 1344; circa sacras conciones: an statis quibusdam temporibus sacrae conciones frequentius habeantur ad normam can. 1346, et sacrae missiones locum habeant iuxta can. 1349.*

Diebus Dominicis ceterisque per annum festis de praecepto verbum divinum praedicant. In paroeciis, in quibus duo aut plures sacerdotes in cura animarum desudant, iisdem diebus ante meridiem duae homiliae habentur et verbum Dei populo annuntiat. Post meridiem doctrina sic dicta christiana in ecclesia habetur. Tempore Quadragesimae et in ecclesia cathedrali etiam tempore Adventus, sacrae conciones fere in omnibus paroeciis habentur.

Sacrae missiones persaepe instituuntur et synodus nostra dioecesana praecipit, ut decimo quoque anno in unaquaque parochia recollectiones vel missiones spirituales instituuntur. Elapso quinquennio 141 missiones celebratae sunt. Via crucis, rosarium, mensis Marianus et alia similia ad augendam fidelium pietatem in tota dioecesi celebrantur et fidelibus commendantur. Praesertim festa B. M. Virginis summa, qua par est, solemnitate celebrantur et mense Octobri speciales devotiones in honorem reginae rosarii habentur.

76. *An vicarii cooperatores aliique animarum curatores suis officiis laudabiliter fungantur iuxta can. 473 seqq.*

Vicarii cooperatores et alii animarum curatores paucis exceptis suis officiis laudabiliter funguntur.

## **Caput X. De religiosis.**

77. *An Ordinarius sive per se, sive per alium, quinquennalem visitationem domorum religiosarum peregerit iuxta cann. 512, 513: et quae notabiliora adnotanda habeat.*

Per commissarios episcopales domus religiosarum visitatae sunt, et quidem ante Codicis j. c. publicationem quolibet anno et postea visitatio quinquennalis habita est. Domum religiosam Congregationis monialium ss. Redemptoris in Gars ipse hoc quinquennio visitavi. Notabiliora adnotanda non habeo. Virgines in his domibus viventes ita religiose vivunt, ut fidelibus exemplo sint et statuta congregationis religiosissime observantur.

Domus virorum Congregationis juris dioecesani non adest, sed tantum una domus mulierum Congregationis, scl. domus materna sororum scholarum III. ordinis s. Francisci in Judenau. Hae

sorores suo tempore introductae sunt in dioecesim ad regendas puellarum scholas. Magno cum fructu in dioecesi laborant et aestimatione fidelium gaudent. Habent vota simplicia perpetua. Monasteria monialium, quae regularibus subdantur, non adsunt.

*78. Utrum religiosi, sive viri, sive mulieres, vitam communem ducant; an sint qui habitent soli, vel in domibus privatis cum saecularibus, et quo iure; quae sit in utroque casu eorum fama; quatenam pro dioecesi utilitas; an catechismum tradant, si Ordinarius requisierit iuxta can. 1334; quo habitu incedant.*

Religiosi, sive viri sive mulieres, vitam communem ducunt. Nonnulli religiosi extra suum monasterium cum licentia suorum Superiorum degunt et munere aut professoris aut missarii aut oeconomi funguntur.

Fama religiosorum paucissimis exceptis generatim est bona. Etiam in cura animarum unacum sacerdotibus saecularibus in parochis saecularibus aliqui religiosi cum licentia Superiorum laborant. Multi religiosorum in paroeciis monasteriis incorporatis in cura animarum desudant, alii laudabiliter dicant operam suam institutioni juventutis, etiam alumni seminariorum minorum a monachis s. Benedicti efformantur. Patres Congregationis ss. Redemptoris missiones sacras et exercitia spiritualia in seminariis et monasteriis bono cum fructu habent. Catechismum tradunt in paroeciis ii regulares, qui in paroeciis monasteriis incorporatis in cura animarum constituti sunt. Ceterum ad catecheticae populi institutionem alii religiosi ab Ordinario hucusque non vocati sunt.

*79. Si quaestuant adsint, sive viri, sive mulieres, an canonicae praescriptiones cann. 621, 622, 624 servaverint: an aliquod inconueniens acciderit, vel aliquid sit de hac re animadvertendum.* Quaestuant religiosi, viri et mulieres, opportuna S. Sedis decreta de hac re edita et praecepta Codicis j. c. servant et numquam aliquid inconueniens in his mihi relatum est. Etiam religiosae mulieres, quae necessitate domus coactae Ordinarii licentiam scriptam efflagitant, canonicas praescriptiones observarunt.

*80. Si congregatio aliqua dioecesanis iuris, vel societas sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium habeatur, Ordinarius de ea, aut de eis, nomen dicat, finem, sodalium numerum, utilitatem, et si quae alia observanda habeat.*

Congregatio aliqua dioecesanis iuris vel societas virorum aut mulierum, quae in communi sine votis vivunt, non habetur.

*81. Referat Ordinarius an aliquod offendiculum cum religiosis habeat in suae iurisdictionis exercitio.*

Offendiculum in exercitio iurisdictionis cum regularibus, quamvis in nostra dioecesi omnes exempti sunt, non habeo.

*82. Si adsint religiosi viri ordinibus sacris iam initiati, qui exclastrati, saecularizati aut dimissi a religione fuerint, referat Ordinarius quid de ipsis dicendum iuxta cann. 639, 640, 669 seqq.*

Religiosi saecularizati nonnulli in dioecesi sunt. Hi in cura animarum ceu parochi laudabiliter laborant. Exclastrati et dimissi, in quantum scio, non adsunt.

*83. De religiosis mulieribus in specie Ordinarius referat:*

a) an observentur canonicae leges circa admissionem ad novitiatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cann. 512, 513, 520-527, 533-535, 547, 549, 550, 552, 600-605;

b) si quae monasteria monialium superioribus regularibus sint subiecta, an in casibus a iure statutis Ordinario subdantur iuxta cann. 500 § 2 et 615;

c) quae vitae activae sunt quibus diversis operibus se addicant, et quo fructu;

d) si sint quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis vel similibus virorum domibus gerant, an cautum sit a periculis quae in his adiunctis obversantur, et an aliquid habeatur deplorandum.

Quoad religiosas mulieres sincere fateor, canonicas leges circa admissionem ad novitiatum et professionem ad amussim observari. Clausurae leges canonicae observantur secundum constitutiones religiosarum. Moniales cum clausura Apostolica et votis solemnibus in dioecesi non adsunt.

Congregationes virginum religiosarum in dioecesi existentes habent clausuram episcopalem cum votis simplicibus sive temporaneis sive perpetuis. Pro confessione monialium leges ecclesiasticae observantur. Omnis domus religiosarum habet confessarium ordinarium et extraordinarium. Bona temporalia administrantur iuxta canones. In singulis religiosarum domibus cautum est, ut dotes non tantum rite persolvantur et in fines convenientes erogentur, sed etiam, ut prudenter respiciatur ad ea, quae legibus civilibus de securitate pecuniarum statuuntur. Ratio administrationis in instituto juris dioecesani quotannis Episcopo aut commissario episcopali redditur. Ante religiosae obitum dos non impenditur.

Monasteria superioribus regularibus subjecta non adsunt.

Vitam partim activam religiosae agunt: puellas instruunt, hospitalia et orphanotrophia dirigunt, infirmis in domibus privatis auxilium ferunt et alia opera charitatis exercent. Aliae perpetuam adorationem ss. Sacramenti colunt, paramenta sacra conficiunt aut vitam contemplativam agunt.

Virgines Anglicanae puellarum scholas et convictoria sustentant, etiam Lyceum pro puellis et scholam praeparandarum ad magisterium puellarum habent. Similiter sorores III. ordinis s. Francisci, quas communiter apud nos „sorores scholarum“ vocant, scholas puellarum a multis discipulis frequentatas dirigunt magna cum laude. Sunt etiam, quae rem domesticam in nosocomiis et seminariis gerunt. Non habetur de his aliquid deplorandum. Omnes mulieres religiosae se exercent ad pietatem, vacant meditationi et exercitiis spiritualibus ad minus semel in anno peragendis et repletae sunt spiritu humilitatis et oboedientiae.

## **Caput XI. De populo fidei.**

*84. Dicatur quinam sint generatim populi mores: quatenus vita christiana privata in familiis: quatenus publica in oppidis et civitatibus: an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu. Et si sint differentiae notabiles unius loci ab alio, indicentur. Quid fiat ut christianae vitae professio, si paululum defecit aut a recta via declinavit, sensim reducatur.*

Contestari possum, maximam fidelium partem in dioecesi spiritu fidei et charitatis christianae animatam esse. Fidelis populus enutritur pabulo salutari catholicae veritatis et doctrinae, studet Deum ex toto cordo diligere et eius mandata servare. Mores populi universim doctrinae christianae accomodati sunt. Sunt etiam vitia et scelera frequentiora, blasphemia, lascivia et luxuria praesertim in civitatibus nominandae sunt, et qui rusticantur, nunc temporis saepius avaritiae indulgent. Divortia inter maritos saepe saepius inveniuntur. Novissimis temporibus

etiam sunt, qui dispensationem ab impedimento ligaminis a civili gubernio petierunt et obtinuerunt et relicto priori conjugate legitimo cum altera muliere aut viro adulterant. Interdum sunt homines, qui vitae filium violenter dirumpant. Etiam socialistarum antesignani verbis et scriptis perversa sua principia propagare conantur, quo fit, ut etiam in nostra dioecesi non parvus numerus opificum et operariorum atque aliorum hominum cultorum socialismi lue infectus est. Post bellum cruentum multi ad socialistarum vexillum advolabant. His vitiis accedit in civitatibus nimius mulierum in vestitu luxus, quamvis deplorandis his vitiis animarum pastores media efficacia e. g. missiones populares opponere student. Juxta mandatum Episcopi missiones in omnibus parochiis intra breve temporis spatium habendi sunt.

85. *Qua reverentia clericos, et maxime Episcopum et S. Pontificem, populus prosequatur. Can. 119.*

Clericis, Episcopo et Summo Pontifici fideles reverentiam offerunt. Nonnisi sic dicti „Libere cogitantes (Freidenker)” et antesignani socialistarum odio erga hierarchiam impleti sunt.

86. *Quae sit observantia: can. 1248 circa praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis; cann. 1252, 1254 circa abstinendam et ieiunium; can. 770 circa sollicitam baptismi collationem infantibus; can. 859 circa communionem paschalem: quot sint ex viris et ex mulieribus qui, cum sint professione catholici, nihilominus eam negligunt, facta proportione pro singulis centenariis fidelium; can. 863 circa frequentem communionem; cann. 865 et 944 circa extrema sacramenta: an sint inter eos qui catholici censentur, qui haec sacramenta differunt, negligunt aut etiam recusant: et dicatur eorum numerus, habita proportione pro centenariis; cann. 1203, 1239 seqq. circa cremationis reprobationem et funera: dicatur, servata proportione ut supra, quot ex iis qui catholici dicuntur funeribus mere civilibus seu irreligiosis sepeliantur: an id contigat ex nimietate taxarum stolae, an ex alia causa.*

Dominicis et festis diebus fideles generatim sacram missam audiunt et ab operibus servilibus abstinere. Ast in nonnullis civitatibus non pauci sunt, qui dies festos spernunt. In aliis locis dies dominici deturpantur ebrietatibus, luxuriis et oblectationibus peccaminosis. Observantia legum abstinendae et jejunii religiosa quidem est apud homines rusticos, sed in majoribus oppidis hominum incredulitas et intemperantia saepe eo excrevit, ut jejunii ecclesiastici vix nomen et species maneat. In nostra provincia ecclesiastica lex jejunii et abstinendae notabiliter per facultatem Apostolicam moderata et temperata est.

Infantes fere in omnibus parochiis quam primum baptizantur. Sunt quidem, sed non multi, qui baptismi lavacrum nimis differunt. Sed hoc sacramentum negligentes aut administrationem huius sacramenti prohibentes non inveniuntur.

Praeceptum paschale a longe maiori fidelium parte observatur. Mulieres minus quam viri catholici hoc praeceptum negligunt et in pagis fere omnes catholici communionem paschalem celebrant. In civitatibus et locis, in quibus socialismi haeresis serpit, a mensa Eucharistica multi abstinere. Ex centenariis singulis fidelium certe 90 praeceptum paschale implent.

Fideles frequenter ad s. communionem accedunt in civitatibus et pagis. Utique femineus sexus saepius quam viri ad tribunal poenitentiae et ad mensam Dominicam accedit, sed etiam viri non raro haec sanctificationis media adhibent. Juventus christiana per indefessum animarum pastorum zelum non tantum elementis fidei imbuitur, sed etiam ad frequentanda sacramenta invitatur bono cum successu. In visitationibus canonicis magno semper gaudio afficior, si multi pueri et puellae a manu mea s. synaxim accipiunt.

Fideles, qui graviter decumbunt, fere omnes s. sacramenta deposcunt et raro aegrotantes sine sacramentis discedunt. Rarissime evenit, ut extrema sacramenta recusentur. Corpora defunctorum sepeliuntur. Crematorium in dioecesi non adest.

*87. Circa matrimonium: an matrimonia mere civilia, concubinus et divortia habeantur, et qua proportione; an vitia contra sanctitatem matrimonii irrepserint; quid fiat ut haec mala removeantur.*

Matrimonia mere civilia raro habentur, sed non raro in civitatibus maioribus concubinus. Divortia habentur non pauca, in hoc quinquennio circa 1100. In qua proportione concubinus et divortia habeantur, accurate dicere non possum, forsitan 5%.

Tempore belli multa matrimonia contracta sunt sine matura deliberatione et post bellum vitia contra sanctitatem matrimonii irrepserunt. Parochi monentur, ut diligenter et caute fideles instruunt de sanctitate et fine matrimonii et de conjugum officiis in „examine sponsorum“ (Brautexamen). Ante bannum nuptialem sponsus et sponsa a parochis instruuntur. In matrimoniis mere civilibus pastores curant, ut postea etiam coram facie ecclesiae matrimonia valida fiant, si non impedimenta indispensabilia obstant et ad tollendos concubinus pari modo omnem dant operam. Magnum periculum pro ecclesia et etiam pro republica est neo-malthusianismus, qui post bellum invaluit. Inter divites homines et inter alios hic morbus moralis grassatur. Palam propagatur haec lues sub nomine et praetextu scientifico et oeconomico. Contra hoc vitium pro individuis et familiis ac toto humano genere pessimas sequelas secum trahens Episcopi Austriaci in litteris pastoralibus vocem extulerunt.

*88. Ubi catholici cum acatholicis mixti sunt, et mixta matrimonia habentur, dicatur numerus horum matrimoniorum tum absolutus tum relativus ad matrimonia non mixta: quoniam exinde detrimenta religioni proveniant: an serventur ab his contrahentibus clausulae can. 1061.*

Matrimonia mixta habentur in dioecesi elapso quinquennio supra 150. Sunt pauca ad matrimonia non mixta. Pastores acatholici omni modo partem acatholicam instigare student, ut cautionibus quoad universam prolem in religione catholica educandam praestandis non assentiant. Et revera etiam in nonnullis casibus hae cautiones praestitae non sunt. In his casibus parochi ab omni assistentia abstinuerunt. Sed ubi cautiones opportunae a lege ecclesiastica praescriptae praestantur, vi facultatis Apostolicae Ordinarius dispensat. Ex his matrimoniis mixtis hoc catholicae fidei detrimentum pluries provenit, ut educatio proles catholica negligatur et interdum etiam fit, ut contra stipulationes factas universa proles in religione acatholica instituat. Juxta leges civiles vigentes stipulationes ante matrimonium maritorum factas post matrimonium a conjugibus, si utraque pars consentit, mutari possunt. Parochi omni studio ab huiusmodi contrahendis nuptiis fideles avertere curant.

*89. De christiana educatione proles: quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt, in sinu familiae satisfaciant gravissimae huic obligationi, de qua cann. 1113 et 1372: et quae cura sit ne ab hoc officio fideles deficiant.*

Generatim parentes curant prolem in sinu familiae religiose educare. Inter socialistas sunt nonnulli, qui educationem proles religiosam et moralem non tantum negligunt, sed etiam rejiciunt et suos pueros a suscipiendo sacramento poenitentiae et a s. communione detinent et visitationem s. Missae prohibent. Ordinatio quaedam, quae a secretario inferiori status pro eruditione et cultu Gloeckl publicata est et omnem „coactionem ad exercitia religiosa“ prohibet, multam perturbationem et confusionem excitavit. Sed, Deo sint laudes, tantum paucissimi in dioecesi hoc fecerunt.

*90. De scholis: an in publicis scholis, praesertim elementaribus, servetur praescriptum can. 1373 de institutione religiosa puerorum. Et si non, qualibet de causa; an cura sit fidelibus et clero instituendi pro catholicis pueris scholas confessionales, eosque avertendi a scholis acatholicis, neutris, mixtis, iuxta can. 1374.*

Ratio institutionis et educationis puerorum in scholis publicis est sequens:

In nostra dioecesi existunt scholae publicae elementares (Volks- und Bürgerschulen) et scholae sic dictae mediae (Gymnasium, Realschule, Realgymnasium, Lehrer- und Lehrerinnenbildungsanstalt, Lyceum). Vigore legis civilis 25. Maii 1868 habet respublica supremam directionem et inspectionem supra omnes res, quae ad institutionem et educationem civium pertinent. Sed competens societas religiosa jure immediatae inspectionis gaudet quoad institutionem religiosam et exercitia ad religionem pertinentia. Propterea filii, qui a parentibus scholis publicis traduntur, etiam in religione christiana a parrocho aut ab alio sacerdote, qui missionem canonicam ab Ordinario adeptus est, instituuntur et ad exercitia ad religionem attinentia obligantur, scilicet ad frequentationem missae, ad susceptionem sacramentorum, ad orationem ante et post scholam, ad visitandas sacras processiones et alia exercitia religiosa. Novissimis autem temporibus a gubernio civili (Gloeckl) contra leges (vi. n. 89) vigentes quoad exercitia religiosa declaratum est, pueros ad haec exercitia non vi neque physica neque morali excitari debere; quapropter in nonnullis scholis elementaribus et mediis pueri a visitatione missae diebus dominicis et festis et hincinde etiam a suscipiendis sacramentis abstinere. Horae pro institutione religiosa in scholis accurate destinatae et terminatae sunt ita, ut iisdem horis sacerdos se accomodare debeat. Quamvis hae leges civiles juri ecclesiae in multis adversentur et haud raro liberum exercitium jurisdictionis ecclesiasticae impedire possent, quia in tradendis disciplinis profanis ludimagister non tenetur doctrinam catholicam sequi, tamen fateri debeo, in praxi hucusque auctoritatem civilem saepius mitius procedere, quam verba legum admittunt, et si parochi munus catechizandi diligenter implent, boni fructus percipi possunt. Parentum est, pueris rudimenta fidei inserere eosque bonis moribus et officiis pietatis assuescere ad vitam christianam. Ludimagistris munus catecheticum ab Ordinario rarissime et transitorie tantum committitur, solummodo in casu necessitatis, si sacerdos aegrotat aut ex alia justa causa atque ea tantum conditione, ut sint idonei, vitae integritate et fide christiana prae luceant. Socialistae conantur scholas publicas ab ecclesia prorsus avellere.

Etiam in scholis sic dictis mediis discipuli pleniori religionis doctrina excoluntur et in curis meis semper est, ut id fiat per sacerdotes zelo et doctrina praestantes. Anno quolibet elapso relatio de statu religionis ad Episcopum fit per commissarium episcopalem, qui veritati catholicae tradendae invigilat et scholas visitat.

*91. De conditione et statu scholarum confessionalium, praesertim elementarium, enucleate referatur: quomodo sustententur, a quot alumnis frequententur, qualique profectu. Et si scholae confessionales institui non potuerint, indicetur causa: et dicatur, an per varia opera- post-scholaria, hoc est oratoria festiva, Congregationes Marianas, scholas catechisticas, aliisve modis, cautum pro viribus sit praeservationi puerorum et puellarum.*

Scholae proprie confessionales non adsunt. Sunt autem scholae multae elementares, in quibus puellae a religiosis feminei sexus instruuntur e.g. a virginibus anglicanis, a sororibus scholarum III. ordinis s. Francisci et a filiabus divini Salvatoris. Hae scholae sunt privatae, sed fidem publicam habent, quia supremae inspectioni rei publicae quoad disciplinam et docendi methodum subjectae sunt. Eiusmodi scholae libenter a puellis catholicis frequentantur et sustentantur partim a communitate civitatis partim ab ipsis congregationibus.

92. *De religiosis et piis laicorum associationibus; an adsint in dioecesi tertii Ordines saeculares, et confraternitates, illae praesertim Ssmi Sacramenti et Christianae doctrinae, aliaeque piae uniones potissimum pro iuvenibus: quo numero et quo religionis profectu.*

Sodalitates piae et religiosae rite constitutae permultae adsunt. Omnes hic adnumerari non possunt. Nominare licet confraternitatem ss. Cordis Jesu, quae de die in diem incrementum capit et fere in omnibus ecclesiis erecta est, deinde sodalitem a s. familia, confraternitatem s. Michaelis Archangeli sublevandis Apostolicae Sedis indigentibus destinata. Obolus b. Petri mediante Nuntiatura Apostolica Romam mittitur. Adsunt in dioecesi consociationes piae maritorum, juvenum et virginum, Congregationes Marianae, s. Vincentii a Paulo pro adjuvandis egenis, Apostolatus filiae sic dictae christianae. Existunt etiam plures uniones catholicae pro missionibus sublevandis. Floret sodalitas a S. Sede commendata ss. Sacramenti, quae circa 24.000 asseclas numerat et etiam ornandis ecclesiis pauperibus operam dat. Adest sacerdotum associatio pro adoratione ss. Sacramenti. Confraternitas christianae doctrinae in dioecesi nondum est erecta, quia non est necessaria. In doctrina christiana pueri a sacerdotibus in scholis et in diebus dominicis in ecclesia erudiuntur. Adsunt multae saeculares III. Ordinis. Numerus membrorum variarum confraternitatum et associationum indicari a me non potest, ast contestari possum pastores sine exceptione sollicitos esse, ut sodales pietate et charitate aliis fidelibus praeluceant. Associationes multum fructum afferunt.

93. *An hae associationes servant omnes praescripta: can. 690 de subiectione erga Ordinarium; can. 691 de administrationis modo.*

Sodalitates in dioecesi existentes ab ecclesiastica auctoritate erectae sunt et huic auctoritati subjiciuntur.

94. *An adsint inter catholicos associationes illae, quae sociales vocantur, agricolarum, operariorum, mulierum in hunc vel alium caritativum finem, vel mutuuum subsidium; an asyla pro infantibus, patronatus pro iuvenibus, pro emigrantibus etc., circuli pro iuventute, laboratoria pro artificibus, vel pro puellis etc.: quo spiritu agantur: an directioni et moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis dociliter subsint: quaenam beneficia sive moralia sive temporalia praestent.*

Adsunt inter catholicos etiam associationes, quae sociales vocantur. Adest associatio agricolarum (Bauernbund), operariorum (Meister- und Gesellenvereine), mulierum in caritativum finem (Katholische Frauenorganisation). Sunt asyla pro infantibus (Kinderbewahranstalten), patronatus pro iuvenibus (Christliche Studentenvereine, Burschenvereine). Magni momenti in dioecesi sunt „unio sic dicta popularis” (Volksbund) et „unio ad adjuvandas bonas ephemerides” (Pressverein). Omnes uniones bono spiritu aguntur et praestant beneficia non pauca moralia et temporalia.

95. *An cura sit ut qui hisce associationibus sive religiosis et piis, sive socialibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant.*

Curatur, ut qui associationibus religiosis et piis adscripti sint, in fidei doctrina instituantur et vitam christianam ducant.

96. *An et qua diffusione ephemerides vel diaria obscoena, irreligiosa, modernistica vel liberalia dioecesim pervadant: an libri quoque huius generis diffusi sint; quid fiat ad tantum malum coercendum et quo fructu.*

Ephemerides et diaria obscoena in dioecesi non eduntur, num eiusmodi diaria legantur, nescio. Ast irreligiosa et liberalia diaria prelum in dioecesi relinquunt. Etiam ex aliarum dioecesum

civitatibus diaria et libri huius generis impii dioecesim ingrediuntur et praesertim inter socialismi asseclas et sic dictos „libere cogitantes“ (Freidenker) divulgantur. A catholicis fidelibus, praesertim a piis unionibus et socialibus et a sacerdotibus strenue agitur, ut eiusmodi diaria religioni nociva a fidelibus removeantur et ephemerides religioni et ecclesiae faventes divulgentur. Scriptorum pravorum colluvies aliter cohiberi non potest, nisi ut bona scripta et ephemerides, quae non immerito praedicatorum coadjutores vocari possunt, divulgentur. Persuasum mihi est, clerum et maxime confessarios nihil intentum sinere, ut libri et diaria impia a familiis catholicis arceantur. Etiam 4 ephemerides, qui qualibet hebdomada in dioecesi prelum relinquunt, cum effectu et bono fructu religionem in dioecesi defendunt. Exstant in variis locis lectoria et bibliothecae populares catholicae et sacerdotes sollicitam curam impendunt lectoriis et eiusmodi bibliothecis erigendis.

*97. An massonicae sectae addicti, vel etiam massonicae tabernae in dioecesi habeantur: quanta et quali activitate operam adversus religionem moliantur; quid fiat ad occurrendum huic malo.* Massonicae tabernae in dioecesi non habentur. Utrum homines massonicae sectae addicti in dioecesi vivant, negare non audeo. Certe non sunt pauci, qui religioni infensi sunt et massonicae sectae favent et forsitan involuntarie opem ferunt. Temporum injuria fit, ut multi sorte sua non sint contenti et eiusmodi homines morosi lenociniis sectarum resistere nequeunt.

*98. An socialismi societates habeantur: quot numero, quanti momenti et quali religionis noxa: et quid fiat ad hanc avertendam.*

Ex qua causa fit, ut etiam socialismus in dioecesi radicem fixerit et propagetur. In centris industrialibus socialismus multos asseclas habet, quapropter factum est, ut post revolutionem politicam anno 1918 socialistae in regimine nostrae reipublicae primum locum obtinuerint. Antesignani socialistarum sunt fere ubique Judaei, qui odio religionis christianae imbuti omnibus viribus libertatem ecclesiae suppressere conantur. Socialistae nonnulli a ducibus instigati semel praedicationem verbi divini in ecclesia cathedrali tempore s. missionis turbare ausi sunt. Non pauci socialistae ecclesiae catholicae tergum vertunt cum suis familiis, sed nonnulli horum infelicitum iterum in sinum ecclesiae redeunt. Adveniente morbo et pulsante morte resipiscunt.

*99. Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici religionis bono et ecclesiae libertati pro viribus consulant.*

In exercitio iurium politicorum et civilium fideles agrestes catholici tales viros eligunt, qui bono religionis et ecclesiae libertati in publicis comitiis pro viribus consulunt. In civitatibus et oppidis multi fidelium in electionibus ad comitia publica principia liberalismi sequuntur, ex quo fit, ut etiam viri deputentur, qui religionem non solum non defendunt, sed infestant. In centris industrialibus socialismi asseclae eliguntur.

## **Caput XII.**

### **Judicium syntheticum Ordinarii circa dioecesis statum.**

*100. Denique Ordinarius, omnibus in universum complexis, dicat, praesertim in prima sua relatione, quid actu sentiat de materiali et morali conditione dioecesis, quae spes melioris status affulgeat, quaenam maiora discrimina immineant.*

*In sequentibus vero relationibus addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. Congregatio in sua responsione ad praecedentem relationem significaverit:*



*et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in dioecesi: et quoniam de eo censeantur causae.*

Omnibus in universum complexis de materiali et morali conditione dioecesis sequentia dicere mihi liceat:

a) Sincero animo testari possum, clerum totius dioecesis paucissimis demptis zelo animarum atque morum integritate praefulgere et officia ecclesiastica diligentissime adimplere. Quo fit, ut etiam fideles laici ad fidem catholicam servandam et ad mores ad Christi exemplum componendos excitentur. Christianae catechesi tradendae sedula cura sacerdotes navant, quia omnibus in cura animarum desudantibus persuasum est, christianae doctrinae opus esse actionem catholicam omnium praestantissimam. Verbum divinum indefesse praedicant, sacra sacramenta sollerter administrant, quae a fidelibus lubenter frequentantur. Curatores animarum monitis S. Sedis obsequentes ad saluberrimum sacrae Eucharistiae frequenter imo quotidie sumendae usum christianam plebem hortantur atque impellunt. Summo Pontifici intime adhaerent et Sanctam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem diligunt.

b) Quod fideles attinet, longe maior pars spiritu fidei et charitatis christianae animata est. Fidelis populus salutari catholicae veritatis pabulo enutritus studet Deum diligere et eius mandata servare. Mores populi doctrinae christianae accomodati sunt. Utique etiam vitia grassantur. Maxime deploranda sunt multa divortia inter maritos. Vincula amoris et fidei maritalis per cruentum bellum dissoluta et attenuata sunt. Socialismus, liberalismi proles, religionem infestat. Verbis et scriptis socialismi antesignani perversa sua principia propagare conantur. Sed nihilominus Deo gratias agere et confiteri debeo, dioecesim totaliter sumptam esse bonam, sicut Pius X. f. r. in audientia personali mihi dixerat.

Ad S. Hippolytum (St. Poelten)  
in Austria, die 1. m. Januarii 1923.

+ Joannes Roessler  
Episcopus S. Hippolyti.